Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [1]




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

THEATRI COMETICI EXITUS

De ſignificatione

COMETARUM,

Judiciis præclarorum Virorum ab Auctore partim collectis, partim exquiſitis, expeditus.

AD

Sereniſſimos & Celſiſſimos Principes ac Dominos

PHILIPPUM WILHELMUM

ET

PHILIPPUM COMITES

Palatinos, Duces Bavariæ, &c. Neoburgicum & Sultzbacenſem &c. &c. &c.

Auctore

STANISLAO LUBIENIETZKI

de LUBIENIETZ ROLITSIO.

AMSTELODAMI,

Typis DANIELIS BACCAMUDE,

Apud FRANCISCUM CUPERUM, Sumptibus Authoris. Anno 1668.

Cum privilegiis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

Sereniſſimis & Celſiſſimis Principibus ac Dominis

PHILIPPO WILHELMO
ET
PHILIPPO, COMITIBUS

Palatinis Rheni, Ducibus Bavariæ, Juliaci, Cliviæ, Montium, Neoburgico & Sultzbacenſi &c. &c. &c.

Dominis Clementiſſimis, Dominis Benigniſſimis.

OMnibus bonarum literarum amantibus cum ſolemne ſit Viros Principes & Illuſtres monumentorum ingenii ſui quærere Patronos, nihil inſolens nec peregrinum, licet in his terris peregrinus, facio, dum vobis INCLUTUM PAR PRINCIPUM, hoc quicquid eſt opellæ de ſignificatione Cometarum, illuſtriſſimorum cæli phœnomenorum, inſcribo & conſecro. Quinimò merito id me facere undique tam utriuſque Veſtrûm quàm mei reſpectu, patet. Antiquiſſimi enim ſanguinis Veſtri ſplendor illuſtriſſimus, lucem noſtris conatibus, publico quidem conſecratis, in angulo tamen privati otii natis, addet plurimam, eoſque adverſus invidiam tuebitur. Sed & eadem mea in obſcuro edita laudes magnis virtutibus & meritis Veſtris debitas, gratumque animum meum ob beneficia veſtra in me collata, in lucem proferent. Sanè uterque Veſtrûm, Vos genus ex alto à Carolo Magno, Heroë incomparabili totque Imperatoribus Glorioſiſſimis, Regibus, Electoribus & Principibus domi foriſque à tot ſeculis uſque adhuc Clariſſimis (quos & monumenta noſtra paſſim loquuntur, laudeſque eorum ad ſeram poſteritatem tranſmittent) ducere, eorumque longo ſanguine cenſeri probè meminiſtis. Ita Majores & Parentes Veſtros præclaris bello & pace facinoribus, virtutibus laudibuſque refertis, ut maximo quoque imperio digniſſimi, conſentiente non tantùm populi, ſed prudentum voce, judicemini. Fervet nempè circa præcordia Generoſiſſimus ille tot Maximorum Principum, qui Germaniam utramque, Galliam, Daniam, Norvegiam, Sueciam rexerunt (prout hanc etiamnum regunt) ſanguis, ſub ipſa quoque gelidâ Arcto ebulliens, ac ſe modò cum Auguſto Cæſarum, modo cum Maximorum Regum, tùm Electorum ac Principum orbis Chriſtiani Magnanimorum ſanguine miſcens feliciter. Is Vos ad maxima quæque aggredienda laudabiliter, & perficienda proſperè accendit. Hinc illæ magnæ orbis Chriſtiani ſpes de utroque Veſtrûm, MAGNI PRINCIPES, conceptæ: Vos

nempè

nempè Præclariſſimorum Majorum exemplum ſecuturos, laboranti Reip. Chriſtianæ, virtute & prudentiâ ſubventuros, ejus ſalutem & quietem procuraturos, ac ſi quâ ſortè parte ad ruinam inclinet, impedituros. O utinam mihi tam felici eſſe liceat, omnium bonorum vota, quibus & ego boni publici ſtudio, mea ſupplex adjungo, impleta videre, & Vobis proſperitatem, Reip. Chriſtianæ incolumitatem partam gratulari! Accipite ſereno vultu, virtutibus & gloriâ, Florentiſſimi Principes, faſtum omen nuperis Cometis, ſi DEUS Chriſtiani populi undique afflicti miſereri volet, ſucceſſurum. Accipite lætum novi anni auſpicium. Accipite hoc qualecunque grati mei in Vos animi monumentum. Accipite denique ſupplex & candidum votum, quod pro utriuſque Veſtrûm vita, ſalute, proſperitate ex animo fundo.

Hamburgi Anno Chriſtiano MDCLXVII ineunte.

Sereniſſimas Celſitudines Veſtras

Submiſſiſſimè colens.

STANISLAUS LUBIENIETZKI de LUBIENIETZ.

THEA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

THEATRI COMETICI EXITUS
De ſignificatione
COMETARUM,
Judiciis Præclarorum Virorum ab Auctore partim collectis partim exquiſitis expeditus.

Amſterodamo Hamburgum die 24. *Maji* 1666.

Generoſe & Nobiliſſime Domine.

CUm nondum planè mentem Tuam perceperim, cum partem tan-
tum libri Tui habeam, utrum nempe ſtatuas Cometas bona bo-
uis & mala malis præſagire, an verò ſimpliciter bona & mala eoſ-
dem ſequi, ita ut nihil præſignificaverint Cometæ (quamvis pu-
tem Te prius non poſterius aſſerere) aures tuas incomta oratio-
ne obtundere, & nodos aliquot ſolvendos, qui me in contra-
riam abs Te opinionem tendere hactenus coëgerunt, objicere volui. Qui ſi
ritè à Te enodari potuerint, lubens Tuam amplectar. Alterutrum igitur G. D.
Veſtra ſtatuere debet, vel fortuitò, ſine ullâ Dei directione Cometas exiſtere,
aut eos à Deo creari, vel ſaltem, ſi cauſæ & materia illorum ſint naturales,
Deum certo conſilio, ut ex iis Cometæ generentur dirigere, materiamque ut
ex ea Cometa hujus vel illius figuræ, coloris, ſitus, motus & durationis ex-
ſurgat, diſponere.

Cometas abſque ulla Dei directione apparere vel generari, non facilè credi-
derim Te dicturum vel ſenſurum: nec id multiplices, variarum figurarum,
colorum &c. circumſtantiæ, quibus ab omni ævo apparuerunt, permittunt.

Præterquam quòd Sacræ literæ; nihil ſine provida Dei gubernatione, mul-
to minus tàm illuſtria phœnomena, evenire doceant.

Quocirca eos à Deo creari, vel ſaltem eo quo dictum eſt modo exſurgere,
Te mecum ſtatuere credo, & pro conceſſo in hac diſſertatiuncula ſumam.

Quod ſi ita ſe habeat, neceſſariò ſequitur, quòd in aliquem finem eos Deus
conſpiciendos præbeat. Nihil enim in mundo fieri à Deo, quod non certum
aliquem finem reſpiciat, omnes pii fateantur neceſſe eſt.

Finis autem iſte nullus alius eſſe poſſet, ſaltem noſtri reſpectu, quam ut ho-
minibus aliquid prænuncient. Quod & Te credere, titulus libro Tuo præfi-
gendus indicat, cujus ſuperior pars hanc inſcriptionem gerit: *Bona bonis, ma-
la malis.*

Id autem, quod Hiſtoria Cometarum docet, videris urgere, Cometas bona
bonis, mala autem malis portendere. Quod exemplis omnium Cometarum,
quibus bona & mala ſucceſſerunt, probare anniteris.

Nec non verbis ex Jeremiæ cap. 10. 2 deſumtis, quibus Deus Judæos mo-
net, ne ſigna cæli metuant, quæ metuunt gentes.

At vero Jeremiam per ſigna cæleſtia, non Cometas, ſed ſtellas & planetas
intelligere, quos Gentes pro Diis colebant, eorumque imagines ex ligno fa-
ctas, auro, argento & gemmis ornatas adorabant, ſequentia Prophetæ verba
manifeſtum faciunt; addit enim: *Nam gentium inſtituta ſunt vanitas: eſt enim li-
gnum de ſylva cæſum, opus manuum Opificis in aſcia. (Quod) auro & argento orna-
tur: clavis & malleis compegit nè diſſolvatur &c.*

Jam verò quod nullus Cometa ferè apparuerit, quem non bona & mala ſe-
cuta fuerint, quæ nullo apparente Cometa itidem eveniunt, id ſane neuti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

quam probat Cometas bona præſignificaſſe bonis, niſi ſimul probaveris bonos fuiſſe quibus bona iſta obtingerint. *Sæpiſſimè autem malos, immò deteriores fuiſſe, quàm qui malis fuerunt obruti*, Te non negaturum credo: alias id innumeris abs Te ipſo allatis exemplis facilè evinci poſſet.

Præterquam quòd non ſemper bona ſunt, quæ læta hominibus accidunt; nec mala quæ triſtia nonnullis, præſertim obitus Imperatorum & Magnatum. Sic Pharaoni & Ægyptiis læta fuit à plagis per Moſen à Deo immiſſis liberatio, non verò bona, cum ad eorum indurationem fuerit conceſſa ad momentum, mox graviori plaga affligendis, quin & perituris. Sic neque ſemper bona ſunt victoriæ, triumphi, regionum & urbium expugnationes, annonæ & rerum omnium affluentia & ſimilia, quia non tantum ſæpè hominibus, propter & per ea ſuperbientibus, in certam animarum perniciem vertuntur, ſed & cum plerumque per cædes, rapinas, vim injuſtiſſimam, plurimaque, quæ bellum poſt ſe trahit ſcelera, parta ſint, à Deo minimè conceſſa eſſe, ſaltem non ut bonis, credibile eſt. Sed crediderim talia non raró à diabolo (Deo permittente) qui hujus ſeculi Deus appellatur, ad hominum perniciem concedi. Deum verò talia proſpera, tàm vana, tàm fluxa & parùm beantia, quin & ſæpiſſimè noxia, facibus in cælo ardentibus velle ſignificare, mihi nullo modo fit veriſimile. Mala verò, quæ ab irato Numine malis, etſi non omnibus eodem tempore, infliguntur, & quibus plerumque plurimos impiorum in graviſſimas calamitates, quin & mortem temporariam & æternam præcipitat, per Cometas portendi, nemini mirum videri debet.

Quod autem quæ huic triſtia accidunt, alteri ſint læta, id non poteſt eſſe argumentum, quòd Cometæ tàm bona quàm mala portenderint: quia neceſſario ruina unius gentis, alterius, cui armis victricibus eſt ſubjecta, gaudii, quin & opum ac gloriæ carnalis cauſa exiſtat. Sic quòd eodem tempore huic populo vel genti læta, alteri verò triſtia ſuperveniant, litem non dirimit. Cùm ſæpè accidere poſſit, ut Cometæ non cunctis, ſed certis ſolùm hominibus mala portendant. Hæc velim ut G. D. V. perpendat, & me, ſi poſſit, ab iſtis quæ me in ſententiam Tuam deſcendere hactenus prohibuerunt, ſcrupulis liberet.

Nobilitatis Tuæ ſtudioſiſſimus

FRANCISCUS CUPERUS.

Hamburgo Amſterodamum die 1. *Junii* 1666.

REm mihi pergratam & publico per utilem, Vir Humaniſſime, feciſti, quòd occaſione operis mei & ſententiæ de Significatione Cometarum multa, eaque gravia, dubia moveris. Cùm enim argumentum hoc ſit perdifficile, & in recto ejus intellectu non parum ſitum ſit, res ipſa indicat veram de eo ſententiam multum commodi publico adferre. Cùm tamen illud perdifficile dixerim, & ingenii mei tenuitatem agnoſcam, excuſatum me cum omnibus bonis habebis, ſi quid à tua vel illorum ſententiâ alienum dixero, nec omnium votis vel exſpectationi ſatiſfecero.

Cometam bona bonis, mala malis portendere & præſagire conceſſi. Sed Ethicè, non Phyſicè, id à me dictum eſſe volui, voloque. Cometam enim, ſive in aëre, ſive in æthere locetur, & quæcunque tandem origo ei aſſignetur, phœnomenon naturale, etſi rarius & quodammodo extra ordinem appareat, eſſe, nemo, ut puto, inficias iverit. Nemo tamen Creatoris & ſui benè gnarus & memor, neceſſitati, qualem in rebus naturalibus videmus, & phyſicam ac determinatam vocamus, arbitrii vel potius mentis humanæ libertatem ſubjectam eſſe dixerit. Idem fortuitò & ſinè ullâ Dei directione Cometas exiſtere nequaquam cogitârit. Si tamen prudenter & modeſtè ac ſobriè philoſophari voluerit, modum & rationem illius directionis, quod ad circumſtantias attinet, non

facilè

facilè determinaverit. Ego tantum abeſt, ut cum Democrito aliiſque res humanas caſu ferri dixerim, ut potius Damaſceni, Tanneri, Ambroſii, Rhodii, Arriagæ, Moeſtlini, Oviedi, Rothmanni, Fromondi, Reſtæ, Cabæi aliorumque ſententiam, quæ fert Cometas certo tempore juſſu divino ad ſignificanda triſtia fieri, diverſam formam à Deo accipere, & ab Angelis dirigi, tanquam piam laudaverim. Quod cum ita ſit, hîc quoque, ut aliàs ſemper, nil temerè, ſed propter certum quendam finem fieri ſtatuo. Finem illum in apparitione Cometarum eſſe bona bonis, mala malis portendendo, omnes Concionatoris, ſive præconis cæleſtis & fidelis Conſiliarii loco, officii admonere, ſemper credidi. Hoc non aliud reſpondero, ſi quis me roget;

Eſt aliquid quò tendis & in quod dirigis arcum?

Verba Jeremiæ Prophetæ meritò ad hoc quoque argumentum ut arbitror, tranſtuli. Nam ſi ordinaria cæli ſigna, longè maxima ſidera, ſanè & iſta quæ extrà ordinem eveniunt, ac magnitudine & viribus, quod multi fatentur, Soli & aliis Planetis cedunt, & non diu durant, phœnomena vel ab iis metuere nobis, vel etiam ea colere gentium ritu non debemus. Atqui & Cometa Romæ, Plinio * teſte, pro numine cultus: aliis † verò ipſe malus genius eſſe putatur. Illud religioni, hoc libertati & dignitati Chriſtianæ maximè adverſatur. Bonos ſaltim comparatè, & hos vel illos ſemper fuiſſe, quibus Cometæ bona, ſicut malis mala portenderint, æquitati conveniens judicio. Malos ſuis & alienis malis ſuperſtites ſæpiſſimè iis, quos ſecuta Cometarum apparitionem mala obruerint, deteriores fuiſſe concedo. Cur autem Deus hos quidem tollat, illos tolleret, ad Philoſophum proprie non pertinet, niſi tamen cum Plutarcho & Seneca hîc philoſophari placeat. Quod tibi ultrò largior, imò vero te ad illius Commentarium de his qui ſerò à numine puniuntur, & hujus libellum de providentia alioſque hujus generis remitto. Antè omnia hæc ex ſacris Oraculis depromta hic cogita, Deum nolle mortem peccatoris, ſed velle ut ad frugem redeat, & vivat, μακρόθυμον, quaſi Longanimem dixeris, eſſe, converſionem ejus exſpectare, ad extremum contumaciam pœnitere neſciam graviori ſupplicio punire: bonos interim vel gravioribus malis ſubducere, vel in hac vita, æternâ illâ donandos, caſtigare, & alia pluria quæ noſti.

* Lib. 2. cap. 25.

† Lib. Mercurii Platoniſantis, cui titulus, Cometa malus genius.

Non ſemper bona eſſe, quæ læta vocamus, verum eſt, certum eſt, in confeſſo eſt. Sed &, non ſemper mala eſſe, quæ triſtia ſunt. Tàm hoc quàm illud κατ' ἐξ, ut in Scholis loquuntur, certo reſpectu & tempore verum eſt. Pharaonem ex ſe malum divina bonitas corrupit. Medicina ejuſmodi hominibus præbita, vertit in venenum. Jobum contra, Joſephum, Davidem & alios caſtigatio divina erudit, & his malum vertit in bonum. Ac proinde & quæ bona, & quæ mala putantur, non ſemper talia ſunt, pro diverſa recipientium ratione. Ita nec obitus Principum ſemper vel omnibus triſtitiam, nec victoriæ & triumphi ſemper & omnibus lætitiam ferunt. Imò verò ſemper hîc illud cogitandum; ut bona bonis, mala malis per Cometas portendi, ita in orbe perpetuâ vice bona malis, & mala bonis miſceri. *Triſtia miſcentur lætis*, nonnemo Latinorum Poëtarum ait: at Græcus ante eum: Ovid.

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. Homer.

Sed de his aliàs jam egi. Videbis hæc Deo volente in opere meo paſſim. Velim autem memineris abuſu uſum non tolli. Bona quæ re ipſa ſunt, talia manent, etſi eis malus abutatur. Sic & mala, mala ſunt, etſi bono in bonum cedant. Annonæ & rerum omnium affluentiam, ut malus Spiritus, divinâ quoque permiſſione, diſpenſet, non facilè credidero. Tu quia non raro id fieri dicis, nihil certi ponis. Deum autem illa bona, κατ' ἐξ ſcil. bonis, imò & malis, ſi boni fieri velint, Cometarum apparitione portendere &, ut ſic dicam, promittere, dicere, pietati morum, ut puto, non repugnat. Hæc alioqui vana

& fluxa eſſe, ac bonis longè meliora, id eſt, excellenter & per ſe bona in cælo parata eſſe, nemo ignorat. Non video autem qua ratione integra æquitas divina hominibus ſpectanda proponatur, ſi mala ſola, non verò etiam bona, Cometis portendi dicatur. Adde quòd hâc etiam ratione Cometa ad omnes omninò homines ſpectans, ad ſolos malos transferatur. Quòd ſi ſecuti Cometæ apparitionem eventus triſtes ei tribuuntur, non video quî æquitate ſalvâ læti eventus, pariter ejus apparitionem ſecuti, ei ſubtrahantur. Scio unius rei plures cauſas dari poſſe: ſcio hæc & illa citrà ullam Cometarum apparitionem contingere. Ideò etiam vinculo neceſſitatis Phyſicæ neutra Cometarum caudis & crinibus alligare volo. Imò verò ſæpe eos plura, & triſtia antecedere, & læta ſequi demonſtro, ut pateat nulli neceſſitati hîc eſſe locum. Dum autem fateris Cometas quandoque certis tantum hominibus mala portendere, eo ipſo quibuſdam malorum eorundem, ut ſic dicam abſentiam, atque ita bonorum præſentiam (omne enim contrarium index eſſe ſui & obliqui noſti) portendere concedis.

Neque verò mirandum eſt eundem Cometam diverſa portendere dici. Diverſa enim ſunt ſubjecta quos ille reſpicit. Sol quoque unus bonos & malos reſpicit. Pluvia bonorum & malorum agros irrigat. Ille bonorum appetentibus laudem, malorum vituperium: hæc uſum frugum & abuſum, Dei gloriam & offenſam, hominis commodum & incommodum ſimul, ut ſic dicam, portendit. Sol præterea diverſimodè in ceram & lutum pluvia in edita & depreſſa loca agit. Verbo: ut unius effectûs plures cauſæ, ita & unius cauſæ plures effectus vel uno eodemque tempore & certo ordine ſubordinati, vel pro diverſo ſubjecto & tempore ac modo diverſi dantur. Vale.

Amſterodamo Hamburgum die 5. *Julii* 1666.

QUòd me inter tot labores, curas & occupationes reſponſo Tuo, quod, ſicut reliqua Tua, modeſtiam & eruditionem ubique ſpirat, honoraveris, eſt quòd maximas Tibi agam gratias. Quòd autem Tuum à me diſſenſum excuſari petis, nihil opus fuit, aliàs ego id longè meliori jure facere debuiſſem, qui me tot clariſſimis & ſubtiliſſimis Viris hîc opponere auſus fui: adeò enim hæc libertas animo meo eſt infixa, ut eam excuſandi ne cogitatio quidem ulla unquam menti meæ ſubeat. Sed ad quæſtionem. Cum autem quæ hîc præſupponi debere innueram, omnia concedas, & tamen verba Jeremiæ Prophetæ ulterius urgeas, velim ut G. D. V. conſideret eum de metu religioſo ſive Idololatrico, nec de ullo alio verba facere, id quod ſequentia à me jam indicata facilè evincunt. Præterquam quòd extrà locum illum verum ſit pios non debere metuere Cometas, quibus bella, fames, peſtes & cætera quæ in orbe eveniunt triſtia, non ſunt mala, ſed omnia illis in bonum cedunt. Nec tamen hinc conſequitur (quamvis nec hîc abſurdi aliquid agnoſcam) *Cometas ad ſolos malos tranſferri, ad omnes omninò homines ſpectantes.* Nam præterquam quod & iſtud incertum ſit, *Cometas omnes omninò homines ſpectare*, boni etiam per Cometas moneri poſſunt ne ſegneſcant in pietatis curſu, & ut vitia reſidua ſeriò emendent, ne ſi ad impietatem deflectant, & ipſi iram & vindictam divinam incurrant.

De eo, quid Cometæ ſint, an corpora naturalia, an verò boni vel mali Genii? litem tibi intendere nolo: quemadmodum enim nihil certi de eo ſtatui poſſe credo, ſic etiam non video cur poſterius ſtatuere *Chriſtianæ libertati & dignitati maximè adverſetur.*

Ut verò recto ordine procedamus, velim ut D. V. rationes, quibus in opere ſuo ſententiam de Cometarum ſignificatione firmare conatur, adverſùs objectiones & ſolutiones à me datas ulterius ſtabiliat.

Et 1. quidem oſtendat verba Jeremiæ de alio quàm de Idololatrico timore agere;

agere; nam etſi concederem etiam Cometas ſub voce Signorum cæleſtium poſſe comprehendi, non tamen inde conſequitur homines ſibi à malis per Cometas præſignificatis non debere metuere, cum de iſto metu non intelligenda ſint. Multò minus quòd Cometæ etiam bona bonis præſagiant. Quin potius ex illis colligere licet, & ex Tua mente, Cometas nihil omninò ſignificare.

2. Quandoquidem tot allatis ex Hiſtoriæ antiquitate exemplis probare anniteris Cometas non mala tantùm, ſed etiam bona ſignificare, non ſufficit oſtendere bona & mala eorum apparitionem fuiſſe ſecuta: ſed eos bona (nam de malis utrimque ut videtur in confeſſo eſt) portendiſſe, & id quidem bonis. Sic ſimul etiam oſtendere debes illos fuiſſe bonos, quibus bona acciderunt, non ſimpliciter læta ſucceſſiſſe. Ego, ut à Te edocerer, rationes aliquot adduxi, ex quibus juſta ſuſpicio oritur, non bona ſed mala tantùm per Cometas fuiſſe ſignificata. Has velim ut G. D. V. diſſolvat, & ſuam ſententiam argumentis fulciat.

Tandem cum dico, fieri poſſe ut certis tantum malis Cometæ triſtia portendant, non protinus inde ſequitur, quod aliis abſentiam malorum & ſic bonorum præſentiam ſignificaverint, cum illos Cometa non ſpectârit, niſi fortè ut eos commonefaciat ut reſipiſcant, niſi omnes ſimiliter perire velint, ut D. Jeſus loquitur Luc. 13. 3. Atque hæc in præſentia mihi pro reſponſo ſufficere videntur, quibus Te plurimùm valere jubeo.

Hamburgo Amſterodamum die 19. *Julii* 1666.

Religio mihi eſt ullum officii genus amicis debitum negligere. Quid ni in Te, quem inter eximios Amicos numero, ſim officioſus? Laboribus me aſſiduis nec levibus, in operis, mole & argumenti ratione magni, editionem toto pectore incumbentem, premi & gravari, non diffiteor. Libenter inter hæc Amicorum gratiâ, quæ in mea ſunt poteſtate, facio. En Tibi itaque ad ſecundas Tuas reſponſum. In aperto eſt Prophetæ Jeremiæ verbis notari Idololatras, qui ſigna cæli numinis inſtar metuentes & colentes religioſi erant. Ideò in priori epiſtola adduxi Romæ olim cultum fuiſſe Cometen: nunc verò à quibuſdam ut malum Genium metuendum proponi. Unde patet omnem qui vel colat vel metuat, tanquam numen, ſigna cæli, contra pietatem peccare. Verum autem eſt piis nec Cometas, nec alia cæli ſigna metuenda colendave eſſe. Potuit tamen Spiritus S. loco dicto, quod & ubique aliàs facit, Iſraëlitas in idololatriam proclives officii admonere. Itaque etiamnum verba illa Prophetæ ad Chriſtianos in genere referri poſſunt. Et norunt quidem boni bella aliaque adverſa non eſſe mala, ſed omnia in bonum illis cedere. Verumtamen ne hæc à viſo Cometa religioſi metuant, iiſve frangantur, meritò moneri poſſunt.

Ad omnes prorſus homines Cometas, ut & alia cæli ſigna, jure cunctarum rerum à Deo in uſus omnium hominum creatarum, pertinere dico. Ita tàm bonis quàm malis inde capiendum eſt quod ex uſu fiet. Quâ ratione nil pietati, prudentiæ vel æquitati contrarium dici arbitror. Hos uti, illos abuti rebus hiſce, & non ex æquo quæ proponuntur capere, à libertate naturæ humanæ pendet. Ad ſolos autem malos transferri Cometas patet, dum ex earum apparitione ſola mala derivantur. Porrò ſicut bonos admoneri officii per Cometas poſſe concedis, ita æquum eſſe cenſeo concedas, eoſdem ad officium faciendum ſpe bonorum ex apparitione Cometæ concepta permoveri, & tantò fortius ad emetiendum virtutis ſtadium excitari. Quid enim in eo abſurdi eſt? imò quid non pietati & æquitati conveniens? Spero itaque Te Cometas, bonorum quoque eventurum prænuncios, bonis monendis & movendis deputaturum.

Cometam malum Genium eſſe, Chriſtianæ libertati & dignitati maximè adverſari dixi. Non temerè, ut puto. Hoc enim ſi foret, metu ſervili, qui animum viſo Cacodæmone inceſſat oportet, homines ad vitia abjicienda, virtu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

teni ſectandam cogerentur, ac velut obtorto collo traherentur. Quid verò in-
dignius foret quàm Chriſtianos aſſiduis iſtis malorum geniorum apparitionibus
terreri & ad faciendum officium adigi? Perſpicies, ut credo, qua es pietate &
prudentiâ, dicti veritatem. Nempe Deus pro immenſa ſua bonitate novo In-
ſtrumento comprehenſa, non ſervilem ſpiritum, ad metum incutiendum, ſed
filialem, ad ſpem ingenerandam, nobis indidit. Idem nos perfectâ caritate,
omnem metum & anguſtiam fugante, duci cupit. Idem denique non monte,
ut olim, fumante, procellis, tenebris, & fulminibus excuſſis terreri nos vult,
ſed ſui ipſius amore paterno, Chriſti Mediatoris ſanguine, non vindictam, ut
ille quondam Abelis, ſed remiſſionem Peccatorum denunciante, & tot in cælo
terraque cultorum Dei exemplis invitari nos ad pietatem mavult. Quod cum
certò certius ſit, quomodo oculis noſtris continuò ejuſmodi malorum genio-
rum apparitiones & Satanæ, id eſt, tàm indigniſſimi quam acerrimi adverſarii
ſui terriculamenta, quandoque etiam quater ſimul (ſicut anno ſuperioris ſeculi
XXIX. & hujus noſtri XIIX. factum legimus) exhiberet? Equidem ipſi quoque
majeſtati & dignitati divinæ id convenire nego, ut toties impurus ille ſpiritus &
juratus humani generis hoſtis, turbas in aëre & orbe inferiori cicat, & mi-
ſeris mortalibus illudat. Requiris porrò, ut meam de ſignificatione Cometa-
rum ſententiam ſtabiliam. Quod ad verba Jeremiæ Prophetæ attinet, jam me
tibi de iis ſatiſfeciſſe puto. Verbo: Vetuit nos Deus non tantùm idololatrico
metu trahi, ſed & eum ullo modo imitari. Hoc autem facere videntur, qui a-
ſtris & Cometis malorum vel etiam bonorum efficiendorum poteſtatem tribuunt,
ut hominum mentes horrore vel ſpe ad ea metuenda vel colenda inducant. Sig-
nificari mala per Cometam, malis ſcil. eoſdemque ab illis metuere ſibi debere,
me non negare, noſti. Tantò verò juſtior ille metus eſt, cum peccata pecca-
tis accumulantur, & vel idololatria, vel ejus quædam imitatio cum imminutio-
ne cultus ſoli Deo, ut rerum auctori & ſummo rerum Domino, debiti, nec
ulli rei à Deo creatæ, multominus ab homine fictæ (quod cum maledictione
paulò inferius & alibi vox divina prohibet) tribuendi, ſuperadditur. At cum
Cometæ æquo, ut dixi, jure omnes omninò homines reſpiciant, & ab iis con-
ſpiciantur, apparet eos bona bonis, mala malis ſignificare. Hoc enim ipſa
æquitatis divinæ ratio, & communis rerum naturalium uſus homini à Deo con-
ceſſus & ejus libertati relictus poſtulat. Cometas nil ſignificare, dicere me non
memini. Id tamen verum eſt Phyſicè intellectum, non Ethicè. Nam ut omnem
neceſſitatem Phyſicam à Cometis removeo, ita libertatem diſſerendi moribus
convenientem libenter hîc relinquo, imò tueor. Fecêre id antè me alii. Nam
ut novus auctor vocer, non ambio, nec meis ſed publicis utilitatibus hîc con-
ſulo. Et fecere quidem Viri præſtantes ac excellentes Thomas Eraſtus, Medic.
olim in Acad. Heidelbergenſi Profeſſor (qui inter egregia ingenii ſui monu-
menta volumen epiſtolarum nobis reliquit, quô Aſtrologiam divinatricem fe-
liciter refutavit) Andreas Dudithius, trium Imperatorum Ferdinandi I. Maximilia-
ni 2. & Rudolphi 2. Conſiliarius & Orator, ac tandem Epiſcopus Quinque
eccleſienſis, & in Conſilio Tridentino Præſes, quod verò maximum eſt, Vir
non magis doctrinæ quàm virtutum ornamentis clariſſimus, tùm Marcellus
Squarcialupus, Julius Cæſar Scaliger aliique. Horum Judicia de ſignificatione
Cometarum nuper prudenti & ſalubri conſilio Jo: Andreas Boſius collegit &
edidit. Poſt hos nuperrimè Clariſſimus Vir Eraſmius Bartholinus Med. D. &
Math. in Acad. Haunienſi Profeſſor Regius, multa egregia in hanc rem ſuo de
Cometis noviſſimis Commentario inſeruit. Ex quo non pigebit quædam Tibi
hîc apponere. Statuit primò Cometam pro nuncio & Propheta cæleſti non eſſe
habendum, cùm res noſtras ignoret & curſum deſtinatum perficiat. Rectè om-
ninò: ſi propriè & ſtrictè loqui velimus. Meritò verò miratur, cur permitta-
mus potius partem fieri metus quàm lætitiæ noſtræ novum hoc corpus? Fate-
tur Cometas gravibus ærumnis præfulſiſſe. Sed eas eſſe continuas, ſaltim gau-

diis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

diis immixtas docet. Has vero tonſuras vitiorum luxuriantium eſſe, Deumque in nobis quoque caſtigandis paternum affectum teſtari. Bella præterea huic eſſe triſtia, alteri læta, hæcque pacem ferre. Tandem ſubjicit, quæ merito hîc inſero. *Neutiquam tamen ſemper ortus Cometæ duræ, aliquando proſperæ miniſter ſortis perhibetur. Ita enim Juſtinus lib. 1. de Mithridate: Hujus futuram amplitudinem etiam cæleſtia oſtenta prædixerant, nam & quo genitus eſt anno, & quo regnare primùm cæpit, ſtella Cometes per utrumque tempus, ſeptuaginta diebus ita luxit, ut cælum omne conflagrare videretur. Ut reliquos ſileam. Eventa hæc omnia, non ſuſpicionibus Aſtrologorum, aut figmentis Poëtarum, ſed ipſius ſunt pendenda rationibus ordinibuſque naturæ. Et ſi bellorum motus jam increbreſcunt, quorum Cometæ audient prænuncii, tamen iſtorum, ante exortum Cometarum jacta erant fundamenta. Qui cæli & anni præſentis mores intuetur, cum longis jam menſibus nimium duraverit gelu, dicent, frigoris & nivium conſcium Cometam annonæ caritates promittere: ſed luſtrum eſt & quod excurrit, ex quo ſævior nos hyems vexaret, inſequente rerum copiâ optabili. Non equidem obſcurum eſt nobis, ventos, halones, aliaque id genus meteora naturalibus & notis cauſis exoriri, & nihilominus ab halonibus conſtanti augurio ventos & ſerenitatem præſagiri: ſed quia præcedenti problemate perſuadere conati ſumus, non exhalationibus Cometam generatam, neque meteoris debere originem, ideò hoc fundamento Peripatetico non amplius niti convenit prognoſtica Cometarum, poſtquam cælo vindicaverint ſaniores Aſtronomi nova hæc phænomena. Nullis quoque nituntur fundamentis Poëtarum ad ornandum compoſita epitheta; nec conſtat quid rationis habuerit Virgilius lib. 1. Georgic. cum diceret: nec diri toties arſêre Cometæ, niſi carminis elegantiæ, vulgique ſuſpicionis. Abutitur quoque hominum credulitate Lucanus lib. 1. inquiens: Crinemque timendi ſideris, & terris mutantem regna Cometen. Aſtrologi, ne artes ſuæ intereant, quas non habent à ſcientia ſuppetias, à ſuperſtione medicant: ac ne ſtipes exiguas cultoribus excutiant, ſuſpicionibus utuntur, non cognitionis expreſſæ fide; quare Mathematicis, iſta qua fidunt, pro ignoratione habenda eſt ſuſpicio. Sed niſi homines decipi amarent, illi non deciperent; decipiendi opportunitas inſipientes. fecit: nam plerique meliora edocti, malunt aliorum arbitrio, quàm veritati obſequi, ſicuti de Egyptiis vatibus memorat Q. Curtius lib. 4. qui ſatis ſcirent temporum orbes implere deſtinatas vices, Lunamque deficere quum aut terram ſubiret, aut Sole premeretur: rationem quidem ipſis perceptam non edocent vulgus: ceterùm affirmant Solem Græcorum, Lunam eſſe Perſarum: quoties illa deficiant, ruinam ſtragemque illis gentibus portendi. Hinc iſtis quæ de Cometarum effectibus narrantur, ſaniorum Mathematicorum nemo penè fidem adhibuit: & quò magis in adyta myſteriorum Aſtronomiæ recepti; eò minus ad ſuperſtitiones haſce credendas ſunt proni. Unde ergò reliquis tantum ſapientiæ traditum? unde acuminis & ingenii tantum, ut ipſos à quibus haurire debuerunt fundamenta, provocare valeant in veritate eruenda; quàm credibilius eſt hos occupatos vel metu, vel ſuperſtitione, æſtimare non poſſe. Cur non divinæ opis auguria gratâ mente hinc potius concipimus, & intrepido animo radios hoſce lucidos intuemur, qui ſpem noſtram pietatemque intendant. Cujus ſpei exiſtimandum eſt magis conſtare rationem, quàm Aſtrologorum figmentis; quippe cælo ortus Cometa, lumenque non ſubſtantiæ corruptæ, ſed, quod demonſtrat averſio caudæ, genuinum Solis ad nos reflectens, admonet nos illius, qui omnifariam & undiquaque verſùm circumfluit, fulgoris divinæ miſericordiæ. Satis exactum pœnarum, & ultra eſt. Quid ſi jubemur hac ſerenitate aſtri colligere animum, tot malis fatigatum, & tot occaſionibus mæſtitiæ conſtrictum; ſuſpicere cælum, & mentem erigere, ut benificiorum Dei gratos nos profiteamur exceptores. Hinc redintegrentur ſolida gaudia, ſeraque lætitia.* Comment. De Comet. pag. 73. ſeqq. Prolixiora quidem hæc ſunt, ſed & cordatè ſcripta, & ad rem noſtram facient, Tibique, ut ſpero, ſatiſfacient. Objicis enim ad probandum Cometas bona & mala ſignificare, non ſufficere oſtendere bona & mala apparitionem Cometarum eſſe ſecuta: ſed eos bona portendiſſe, & id quidem bonis. Sic ſimul oſtendendum eſſe illos fuiſſe bonos, quibus bona acciderint, non ſimpliciter læta ſucceſſiſſe. Pari jure dicere poſſem, Tibi probandum eſſe Cometas mala eorum

appa-

apparitionem ſecuta portendiſſe, & malis quidem: atque ſic etiam oſtendendum eſſe illos fuiſſe malos, quibus acciderint, re ſæpius contrarium teſtante, ubi ad experientiam mihi appellandum eſt. Bonis enim mala evenire & Philoſophia & Sacra pagina docet, ſed utraque exercitio virtutis & uſu correctionis, hæc vero etiam ſpe cæleſtis præmii omnem acerbitatem eorum edulcat. Ut tamen ad contradictionem tuam ritè reſpondeam, portendendi vocem in laxiorè me ſignificatu ſumere, ſemper dico. Sic ambitio, avaritia, crudelitas aliaque vitia portendunt alicui incommodum, diſſidium, calamitatem, ruinam, & certius quidem, quod non immerito dicere ſoleo, quàm Cometa aliudve cæli phœnomenon. Bonis bona portendi per Cometas in laxiori pariter ſignificatu dico, ſecundùm Ethices & Hiſtorices, non Phyſices vel Grammatices leges. Bona hîc voco prolem, vitam, pacem, rerum incrementa, ipſamque victoriam, & alia ſimilia. Bonos autem voco, ſicut communiter vocari ſolent, etſi alioqui magnis urgeantur vitiis. Imo vero dum bonos nomino, non quales ſumus, ſed quales eſſe debemus, intelligo. His præſuppoſitis, ſpero Te conceſſurum, Cometas bona bonis, mala malis portendere. Valet enim hîc illud notum:

Oderunt peccare boni virtutis amore.
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Denique quæcunque vel literarum monumentis tradita vel geſta ſunt, vel geruntur in orbe, vel in cælo apparent ad omnes ſpectare, & cuique prudentiæ & virtutis ſtudioſo ex his, ex ipſo quoque inimico, ut ſapienter Plutarchus docet, utilitatem eſſe capiendam & diſcendum quod rectum eſt, etiam vox divina docet. Vir bonus, præſertim Chriſtianus, apis inſtar ex qualibet herba bonum ſuccum extrahit. Quos Cometa ſpectet vel non, res hæc anxiæ curæ & curioſi examinis eſt. Quin & tranſeundum nobis foret in campum Aſtrologicum. At ego hunc libenter prætereo. Nam nec viam illam unquam trivi, & tot aliis jugiter occupato animum ad talia appellere non licet. Vix hæc pauca deproperare potui. Vale.

Ex literis Amſterodamo Hamburgum die 3. *Auguſt.* 1666.

AD literas Tuas facundiſſimas ſimul & eruditiſſimas die 19. Julii ad me datas nihil aliud reſpondeo, quam quod diſputatio noſtra jocus potius, quam res ſeria videri poſſet, dum de vocibus tantum lis eſt. Ego enim eo ſenſu nunquam negavi Cometas bona bonis portendere, quo nunc, (quod & initio ſuſpicabar: hinc enim iſtas hypotheſes ab initio præmiſeram) aſſeris. Videbare mihi concedere Cometas ex Dei intentione mala malis portendere, quod & ego ſtatuo, propriè nempe loquendo, non tantum Ethice. De bonis quæſtio erat. Cum autem jam apertius mentem Tuam expreſſeris, nempe tam pios, quam impios ex conſideratione Cometarum occaſionem arripere debere ſe convertendi, & quiſque pro virtutis vel vitii quæ exercent ratione bona vel mala expectare: Hoc tantum addo, ad id probandum non opus fuiſſe tot hiſtorias lætorum & triſtium, quæ Cometas ſine diſcrimine præceſſerunt vel ſecuta ſunt, in medium proferre, cum id per ſe ſatis ſit manifeſtum. An vero nihil aliud ſibi voluerint ſigna & Cometæ in cælo apparentes ante Hieroſolymorum excidium, item de quibus Chriſtus Luc. XXI. 11, 25, 26 vaticinatur, id Tibi expendendum relinquo. Aſtrologorum deliriis & temerariis prædictionibus nullo modo patrocinium commodare volo, cum ſoli Deo credam eſſe nota, qualia vel quibus populis Cometæ mala portendant. Quod boni ſemper fuerint, quibus læta acciderunt, merito negavi, & vix probari poſſe credo unquam illos meliores fuiſſe, quam quibus triſtia acciderunt: & an hoc ſufficiat bonos appellare, ſicut communiter vocari ſolent (cum eo ſenſu omnes homines boni appellari poſſint) ipſe videris.

Hambur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

Hamburgo Amſterodamum die 29. Sept. 1666.

QUod ad literas Tuas, magnâ quidem cum libertate, quæ Chriſtianis & veris amicis convenit, ſcriptas, mihi tamen pergratas, integri amplius menſis ſpatio nil reſponderim, æquus, ut puto, excuſabis, poſtquam cauſam ſilentii acceperis. Multa quidem me per hæc tempora occupabant & tenebant: cum primis tamen Hiſtoriæ meæ Cometicæ anno vertente abſolvendæ ſtudium. In quod ita totis viribus incubui, ut divina gratia favente voti compos evaſerim. Nequaquam igitur potui vacare Tibi, cui reſponſum cum aliqua cura debebatur. Hoc en tibi, qui libertatem, quâ in me uſus es, æquo feres animo. Atque de eo non dubito, cum mihi modeſta ſententiæ meæ defenſio conveniat. Hanc rationibus & fide auctoritatis divinæ humanæque præſtare animus eſt. Tu æquus judica. De ſignis & portentis, prodigiis & oſtentis aliquid præmittendum eſt. Noſti enim illa, *qui benè diſtinguit, benè docet*, &, *ambiguitas erroris mater.* Signa ſunt vel naturalia, quæ naturâ ſuâ aliquid certi, ut ignis fumum, vel artificialia, quæ aliquid ex compacto, ut iris, mundum diluvio perditum non iri, ſignificat, ut docet Thomas Eraſtus Judic. de Cometis. Is, ut & Simon Grynæus, Viri multâ eruditione præſtantiſſimi, licet Cometas Vaporem eſſe infra Lunam accenſum cum Peripateticis crediderint, eos tamen ſigna naturalia vel neceſſaria vel cauſas rerum, præcipue quæ à libertate humana dependent, eſſe firmiter negarunt. Ita & Magnus ille Dudithius, apprime doctus & pius Vir, licet nil de Cometarum generatione decernat. Quid ni itaque id firmius negent, qui Cometas vel omnes vel pleroſque, vel ſaltim aliquos Lunâ ſuperiores fuiſſe firmiſſime probant. Hos inter eſt ille celebris eruditione Vir Marcellus Squarcialupus: tum Vendelinus, Gaſſendus, Fienus, Primeroſius, Kircherus, Ricciolius, Hevelius, Bullialdus, Bartholinus aliique longe plurimi Viri in omni literarum genere excellentiſſimi. Poſito enim omnes Cometas eſſe cæleſtes, nulla relinquitur eis in hæc inferiora efficiendi facultas, qualem eis ex vicinia in aërem & humores humanos agentibus Peripatetica Schola tribuit. Cum vero minimum extra dubium ſit plures æthereos eſſe, nulla certa & univerſalis de Cometarum efficientia regula tradi poteſt. Atque ita eis, nec in aërem quidquam juris, tantominus in hominis mentem, erit. Et certe ſine Cometis aſſiduas eſſe aëris mutationes, etiam illas inſignes, experientia docet. Nec non ſiccitatem & caliditatem, quam à Cometis præcipue effici Cometarii & Cometomantes vulgo dicti contendunt, ſalutiferam & frugiferam extitiſſe. Iidem tamen illi Viri egregii, quibus & Fienum & Fromondum & Cyſatum alioſque viros longe doctiſſimos addere licet, Cometas ſigna malorum eſſe artificialia ex inſtitutione ſcilicet ſive intentione divina, concedunt. Horum ſententia media mihi placet, ne hinc ſuſpiciamus, illinc deſpiciamus Cometas. Equidem & Scaliger Cometam rerum ſignum propter cohærentiam dici poſſe largitur. Ita & hîc Vir in Republica literaria præſtantiſſimus à noſtris ſtat partibus. Sed & Grynæus, qui Cometas ſigna (quin & cauſas quodammodo) mutationum aëris, non tamen neceſſaria, & imminentis vindictæ, ut ille ξιφίας urbi Jeruſalem integro anno incumbens, non tamen naturalia, eſſe fatetur. Tantum de Signis. Pauca de portentis, prodigiis & oſtentis. Hæc ferè idem denotant, portenta à portendendo, prodigia à prodicendo vel prædicendo, oſtenta ab oſtendendo deducta. Portenta vel divina ſunt, de quibus Sacra volumina, vel naturalia, quorum ſcilicet in natura ortus eſt, & quorum ratio ex naturalibus cauſſis reddi poteſt. Inter hæc & Cometas Grynæus ponit: omnem tamen neceſſitatem Phyſicam à Cometis, etiam dum eos mutationum aëris ſigna vocat, ut diximus, removet. Joannes Milichius, Vir itidem doctus & Commentator Plinii Egregius,

Cicero 1. de divinat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

* In Plin. 2. c. 27. gius, Cometas * ut & trajectinos & chaſmata & reliqua meteora incerta prodigia; eclipſes verò aſpectus & conjunctiones Planetarum certiſſima vocat. Is
a In c. 25. tamen alibi (a) has ipſas Cometarum prodigia & genitrices (adeò ut his viſis illi prædicti fuerint) ſtatuit. Squarcialupus in lato ſignificatu portenta dici poſſe Lunæ coronam, aëris rubedinem & ſtatuarum ſudorem agnoſcit, cum portendant, naturaliter ſcilicet effectus proximos. In ſtrictiori verò ſignificatu portentum, monſtrum & oſtentum illi eſt res inaudita, & ſapientibus vix credenda, vel potius ab omni fide aliena, quæ à ſolo Deo ſit. Ideò Cometas licet à Deo ſint, portenta tamen eſſe, hoc ſcilicet ſignificatu, negat. In argumentum trahit; quòd Deus chariſſimam ſibi Hebræorum gentem Cometarum prodigiis ac terroribus in officio non continuerit: (ideò & Hebræi eos non curarint) & quòd ad portendendum neceſſarii non ſint illis, quibus certa eſt Sacrorum oraculorum auctoritas. Hoc ἀκριβῶς intellectum verum eſſe fateor. Arbitror tamen ex divinæ ſapientiæ, bonitatis, æquitatis ratione rarioribus quàm ſint fulmina, fulgura aliaque hujus generis, phœnomenis Cometalibus homines à Deo officii admoneri, & per ea bona bonis, mala malis prænunciari, ſive in memoriam revocari. Ideò Squarcialupus infra nec ridendos eſſe Cometas, & impropriè portenta naturæ vim indicantia dici poſſe largitur. Ipſe ille Milichius ingenia turbida majora in Republica portenta eſſe pronunciat, quàm ſint Cometæ, terræ motus aliaque ſigna. Quid? Plinius quoque irritamenta gulæ magno emta unaque emtores, prodigia ventris vocat lib. 19. c. 4. Quod ſi ita Philoſophis
b De prov. Conſ. & Orat. in Piſon. loqui licet: quid nî Hiſtoricis, Oratoribus, Politicis? Inde Ciceroni (b), qui ſolus horum omnium munia implevit & dignitatem tuitus eſt, portentum & funus Reipubl. Gabinius, fatale portentum prodigiumque P. Clodius: Urſper-
c Chron. fine. genſi (c) acre inter Gregorium IX. & Fridericum II. diſſidium ruentis Eccleſiæ
d Lib. 17. de regno Ital. prodigium & portentum, & Sigonio (d) pacis Anno 1234. violatio truculentiſſimum omnium prodigium. Nec inſolens Viris doctis ambitionem, avaritiam aliaque vitia vocare malorum ſecutorum portenta & prodigia. Quòd ſi verò Cometæ Phyſicè, non tantùm Ethicè, mala malis ex intentione divina portendunt & prædicunt, pari ratione & bona bonis. Jam ſi Cometas portenta eſſe naturalia, quatenus ortus & ratio eorum à ſueto naturæ ordine provenit, & ordinaria viâ inveſtigari poteſt, cum Grynæo ſtatuas, utrumque Cometæ Phyſicè portendent. Sed hîc fortè jocus tibi erit in re ſeria. Ego tamen ſeriò id dici video, & ex hypotheſi Tua aliorumque dici poſſe largior. Omnis enim neceſſitas Cometis tributa, jus libertatis humanæ involans, imò omnis efficientia eorum, his ſcilicet in ordinem rerum naturalium redactis hâc viâ aufertur, quod mihi hîc ſufficit. Cometa Hieroſolymitanus multis miraculum potius & extraordinarium phœnomenon quàm Cometa eſt. Signa illa de quibus Chriſtus agit, ad eclipſes potiſſimum referuntur. Qualiacunque verò erunt, profectò bona bonis, mala malis prænunciabunt. Ideò Redemtor ſuos tunc capita ſua erecturos, appropinquante redemtione, ſive ab omnibus ærumnis liberatione, ibidem prædixit. Bonis bona, malis mala Cometas prænunciare dum dico, potiſſimum eos qui tales revera ſunt, reſpicio. Judicium hominum non tollit rei, multominus Dei veritatem. Denique non exiguo, fateor, labore & ſumtu opus meum edo. Utrumque tamen non inanem fore ſpero.

Satiſfaciam enim hac ratione mihi aliiſque. Mihi, dum exſequar quod publico egregio varios uſus allaturum arbitror. Aliis, qui hæc emolumenta percipient, quidam etiam percipiunt & præcipiunt. Tùm iis qui me ad tale opus conſcribendum incitarunt. Denique qui vel mirari ſatis non potuerunt, neminem adhuc inventum fuiſſe qui hiſtoriam res lætas Cometarum apparitionem ſecutas continentem conſcripſerit, vel has ſibi exponi ad veritatis oſtenſionem poſtularunt. Illud in Grynæo, hoc in Berckringero veſtrate legi. Atque hæc erant, quibus ad Tuas reſpondere volui. Plures rationes contra Cometarum efficientiam eamque triſtem ſolam, vide in illis excerptis Boſii de Signif. Comet.

met. quæ ex variis præclaris Auctoribus collegit. Liber enim ille publicè ubique proſtat. Ego tamen Gaſſendi Commentarium de Cometis nuper legendo, quæ in fine ad noſtrum argumentum ſpectantia inveni, cum brevibus ad ea notis, quæ, puto, adverſariis ejus, ſaltim quodammodo ſatiſfacient, ſubjicio, ſed Vendelini ſimile idque ſolidum hâc de re judicium præpono. Interim mihi gratulor Te ſententiæ meæ de Cometarum ſignificatione Ethica nil amplius opponere velle. Inde enim bonum augurium & lætum omen capere integrum mihi eſt. Utinam verò omnes libero corde ſerviamus Domino, cujus in manu omnia noſtra ſita!

APOTELESMA.

Poſt animi mei ſenſum ſuper ortu curſuque ac fine hujus Cometæ anni 1652. *explicatum, erunt fortaſſe qui hoc quoque à me exigent, ut addam in quem finem hoc monſtrum intendat? quid inde fas ſit juſtumque ominari? Nam quia poſt Cometas illos quatuor anni* 1618. *eorumque maximum ac famoſiſſimum quartum, tantæ ſunt per orbem terrarum ſecutæ calamitates quà belli, quà famis, quà peſtium undiqe incumbentium, ut in hiſtorias non facile exierit ſæculum cladibus multiplicibus triſtius: erunt qui ad illarum nondum ceſſantium cumulum aliquid acceſſionis etiam ab hoc cælorum prænuntio Cometâ futurum augurabuntur, maxime quoniam eodem hoc anno tres vidimus Eclipſes: Primam Lunæ nocte inter* 24. *&* 25. *Martii Gregor. cujus ego medium maximumque defectum digitorum* IX. *cum triente ferè nactus ſum Tornaci horâ* 4. 31. *fermè poſt mediam noctem: ſecundam Solis d.* 8. *Aprilis ab hora* 9. 34. *ad horam* 11. 59. *antemeridianam: Tertiam rurſum lunæ; cujus ego digitos* X. *& quadrantem ferè, hoc eſt medium obtinui accurate die* 17. Septembris *horâ* 6. 44. *& finem habui hora* 8. 12 *Propter (dico) etiam iſta* φαινόμενα *tantò magis exiſtimabunt ad aliquid triſtius propendere ſpectatum Cometam, iſtud ſignificantem. Fateor equidem non tantùm Cometas, ſed ipſas etiam eclipſes cùm Solis tum Lunæ vocari (& quidem ab ipſo Cicerone in Divinitatione) Signa quæ immittat Deus; & Signorum vocabulo in Sacris noſtris Libris exſertè intelligi Eclipſes non ſemel. Addo etiam Phariſæos cum Sadducæis cum à Chriſto Domino exigerent ut Signum de cælo exhiberet eis, ſeu (quod Græca ſonant) explicaret & ediſſereret, Eclipſes intellexiſſe, quæ contingerunt anno Epochæ noſtræ* 31. *&* 32. *ideoque non uno tantùm loco aut tempore, ſed duobus ac diverſis idem poſtulaſſe, & ad illorum ſycophantias ea reſpondiſſe Chriſtum, quibus neſcio an quidquam ſit illuſtrius in omnibus Chriſti ſermonibus; ut cumque verba illa in obſcuro latent hactenus, producenda ſpero ex ſitu & angulis in apertam Lucem. Propter iſta ergo dico cæli ſigna Cometam antecedentia, ac velut advocantia major erit conſternationis occaſio: aucta etiam ex eo, quod toto illo tempore, quò Sol & Luna pugnaverunt in Cælo, florentiſſimæ copiæ in Galliâ ad Ligerim funeſto prælio decertarunt, & certe illìc in ſuam perniciem ruentes, cælos habuerunt teſtes furòris atque inſaniæ. Ego quidem omni divinatione abſtinere & aliòs docui ſemper, & nunc monere pergo, qui in mea Lampade ante iſtud decennium editâ diras dixi Ariolis & Aſtrologaſtris: neque tamen eo dum me profeciſſe puto, ut perſuadere potuerim iis omnibus qui legerunt: (& verò ubinam ſunt qui legerunt?) ſed ut perſuadeam, aliunde obtendam iis auguſtiora ac meliora omina. Canticum Abacuc prophetico metro conditum legendum omnibus offero, præſſiûs aliquando repræſentatum ex ſacro ſuo idiomate: (quam fideliter judicabunt Hebræophili) quod ipſum, vel ego fallor, vel occaſione ſolis Lunæque Eclipſium eſt perſcriptum, & accedente Cometa ſeu* ἀκονλιᾷ *ſeu* κεραλιᾷ *magis ſuſpectorum ac terribilium metro decantatum, quo metum ab Iſraëlitis amandat in Æthiopas ac Madianitas: illas oras & nos tradamus Deo vota noſtra: & Abacuc loquentem audiamus.*

CANTICUM ABACUC.

1. Domine audivi auditionem tuam, & timui.
2. Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud.
3. In medio annorum notum facies: cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.
4. Deus ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan.
5. Operuit cælos gloria ejus: & laudis ejus plena eſt terra.
6. Splendor ejus ut lux erit: cornua in manibus ejus.
7. Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus:
8. Ante faciem ejus ibit mors: & egredietur diabolus ante pedes ejus.
9. Stetit & menſus eſt terram.
10. Aſpexit & diſſolvit gentes: & contriti ſunt montes ſeculi.
11. Incurvati ſunt colles mundi.
12. Ab itineribus æternitatis ejus.
13. Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ.
14. Turbabuntur pelles terræ Madian.
15. Numquid in fluminibus iratus es Domine?
16. Aut in fluminibus furor tuus?
17. Vel in mari indignatio tua?
18. Qui aſcendes ſuper equos tuos:
19. Et quadrigæ tuę ſalvatio.
20. Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum,
21. Juramenta tribubus, quæ locutus es:
22. Fluvios ſcindes terræ:
23. Viderunt te & doluerunt montes:
24. Gurges aquarum tranſiit: dedit abyſſus vocem ſuam.
25. Altitudo manus ſuas levavit.
26. Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo,

PARAPHRASIS.

1\. SUmme Parens à te quis fragor venit ad aures
Terrore perculſas gravi?
2\. Fac Deus hunc, mediis vitæ labentibus annis
Ut proſperi ſit ominis.
3\. Quamlibet & juſti deſæviat ira furoris,
Memento placari tamen.
4\. Scilicet Auſtrino dominus Themane relucet,
Celſoque Pharanis jugo.
5\. Illius obducit (quàm vaſtum eſt) gloria cælum
Tegitque majeſtas ſolum.
6\. Emicat en claro rutilus fulfore *Cometes*,
Tremenda vibrans cornua:
7\. Cornua, queis violenta trahit præſagia ſecum
Utcumque mortales latent.
8\. Morboſque cladeſque virûm, peſteſque minaces
Anteambulones mortium.
9\. En ſtetit & ſolidæ quàm lata eſt orbita terræ
Dimenſus oras undique,
10\. Vidit & (hoc tanti eſt) populos genteſque fugavit,
Pallore tactas buxeo
11\. Inſonuêre jugis te ſuccuſſantibus antra
Vaſtæque males montium,
12\. Submiſſoque humiles ſenſêre cacumine colles
Euntis inceſſum Dei.
13\. Auguror Æthiopum hæc populis portenta minari
Scelerumque pœnas poſcere;
14\. Aut Madianitûm turmas terrere refixis
Semper vagas tentoriis.
15\. Nam quid enim? vetereſne Deus imitabere pœnas
Irruptione fluctuum?
16\. Ut, placido innocuum quod labitur agmine, flumen
Diluvia ſpumet priſtina.
17\. Aut qui tranquillo conſternitur æquore, pontus
Irâ intumeſcat vindice?
18\. Scilicet idcircò ſacrorum murmure vaſto
Equorum habenas ſtrinxeris?
19\. Et ſtreperos currus rauco per inane tumultu
Rex ſoſpitator volueris?
20\. Non ita: quin ſimul & pinges in nubibus arcum
Colore ſolis æmulo,
21\. Fatalis mundo memorabere Sacramenti,
Quid lege dicta ſanxeris
22\. Si lubet immiſſo findes (ſcio) flumine terras
Longâque rimâ divides:
23\. Et juga te ſimul ac ſpectabunt celſa ruentem
Totis tremiſcent cantibus.
24\. Irruet inſano, ceu concitus impete nimbus,
Et Abyſſus ima mugiet.
25\. Dum conjuratos ad claſſica ſacra furores
Cæli ſupernè deferent:
26\. Sol premet obſcurâ nitidas caligine ſedes;
Lunamque pallor obteget:

27\. Igne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

27. Igne micans rutilo Jaculum cæleſte, rubebit
Feralibus præſagiis:
28. Fulminis inſtar aget furiali crine *Cometes*
Reciprocata incendia:
29. Iratus tremulum quaties à ſedibus orbem.
Populoſque percelles metu.
30. Sed tamen ô! gentique tuæ Regique venito
Benignus ac Salutifer:
31. Atque Tyrannorum potiùs fac pendere pœnas
Rebellium ſuperbiam.
32. Hos age præcipites ſummo de culmine rerum
Colloque nudato tenus,
33. Hos armis inquam propriis jugulare memento,
Ut capita latrorum cadant,
34. Qui velut eliſus nimboſo ex æthere turbo
In nos minatur impetum;
35. Exultent læti quoties graſſante rapinâ
Miſerum popellum devorant.
36. Merge malos tua ceu Rubro quando eſſeda ponto
Viam ſiderunt inviam,
37. Alipedeſque ſacros admiſſis ſcimus habenis
Imum ruiſſe per vadum.
38. At novus intonuit pavidas quis fragor ad aures,
Pectuſque concuſſit metu?
39. Tactus ego tremulas tabo ac lurore medullas
Mœrore triſti emarcui,
40. Dum dubito num quam liceat ſperare ſalutem,
Si nos premant anguſtiæ:
41. Quas equidem actutum populis minitarier iſtis
Et caſtra ducturas reor.
42. Sive paret ſterili ficus nos fallere ramo;
Gemmare renuat vinea:
43. Spem ludat fragilem mendacis termes olivi;
Et arva careant meſſibus:
44. Sive orbas gregibus caulas, viduataque tauris
Lugebimus bubilia.
45. Quæ ſpes ergo? Dei mea gaudia numine paſcam,
Hos ſoſpitante lætior.
46. Ille mihi in duris animos vireſque miniſtrans,
Opem feret divinitus.
47. Meque fugâ celeris rapitur velut ungula cervi,
Calamitati ſubtrahet:
48. Nempe ut inoffenſus tali de vertice montis
Deſpicere poſſim triſtia;
49. Utque meis numeris epinicia ſacra canantur
Plectro ſonori carminis.

27. In luce ſagittarum tuarum,
28. Ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.
29. In fremitu conculcabis terram, & in furore obſtupefacies Gentes.
30. Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.
31. Percuſſiſti caput de domo impii
32. Denudaſti fundamentum ejus uſque ad collum.
33. Maledixiſti ſceptris ejus capiti bellatorum ejus,
34 Venientibus ut turbo ad diſpergendum me.
35. Exultatio eorum, ſicut ejus qui devorat pauperem in abſcondito.
36. Viam feciſti in mari equis tuis,
37. In luto aquarum multarum.
38. Audivi & conturbatus eſt venter meus.
39. A voce contremuerunt labia mea. Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat.
40. Ut requieſcam in die tribulationis.
41. Ut aſcendam ad populum accinctum noſtrum.
42. Ficus enim non florebit: & non erit germen in vineis.
43. Mentietur opus olivæ, & arva non afferent cibum.
44. Abſcindetur de ovili pecus: & non erit armentum in præſepibus:
45. Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Jeſu Deo meo.
46. Deus Dominus fortitudo mea.
47. Et ponet pedes meos quaſi cervorum.
48. Et ſuper excelſa mea deducet me.
49. Victor in Pſalmis canentem.

IS ESTO BONI OMINIS OPTIMUS FINIS.

PEtrus Gaſſendus Phyſ. T. I. ſect. II. lib. V. cap. III. de Cometis, poſtquam docuit ventos non neceſſariò Cometis ſuccedere, tantominus ſiccitatem, tùm ſterilitatem, famem, peſtem, bella, Principum interitus, rerump. clades: omnium verò minimè arbitrarias hominum actiones ad Cometarum apparitionem eſſe referendas, miratur eouſque vanitatis jam olim referente Plinio l. 2. c. 25. Aſtrologorum nonnullos progreſſos fuiſſe. Cum autem nihil vulgatius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

gatius ſit, quàm bellorum clades, regnorum everſiones, Principum mortes ad Cometas referre, *hoc*, inquit, *loco quid potius uſurpem, quàm Epicureum illud* μῦθος ἀπέτω, *fabula abſit; mirum enim dictu quanta faſcinatio mentibus humanis illudat. Profectò ſi anni ſteriles non forent, ſi non invaleſceret fames, ſi non graſſeretur peſtis, ſi bella non excitarentur, ſi exercitus non profligarentur, ſi Principes non morerentur, niſi Cometis præeuntibus; præclarè iſta circumferrentur. Nunc autem, ſeu præfuerint Cometæ, ſeu abſuerint, omnia pari modo eveniunt. Ecquid ergò iſti effectus referuntur potius in Cometas, ſeu cauſas, ſeu ſigna, ſeu utrumque dicas, quàm in quidvis aliud? Ad hæc, ſi Cometæ conſiſterent, ac uni tantùm ſeu domui, ſeu urbi, ſeu regioni impenderent: ſi unius aciei clades non eſſet victoria alterius: & quod iſtis lethale eſt, ſalutare illis non foret; ſi Reges ſoli morerentur, ſuperioraque illa corpora optimates potiùs viros quàm plebejos reſpicerent; ratio ſpecioſa obtenderetur; at Cometæ varias regiones, imò totam terram circumeunt: quicquid calamitatem affert uni ſeu viro, ſeu populo, præſtat alii emolumentum; miſta denſantur Principum & ſubditorum funera; neque naturalibus cauſis ullus noſtri delectus eſt, ecquid ergo diros, letales, timendos dicimus Cometas, potiuſquam benignos, ſalutares, amabiles? Terrifici ſunt, ſed dementia noſtra, quæ Panicos ſibi objicit terrores, ac propriis malis non contenta, extranea undique adſciſcit. Dices Cometas divinitùs ad aliquid nobis ſignificandum uſurpari. Ac ſanè id fieri poſſe non inficior. Sed interim, undenam conſtat reipſa id fieri? An aliunde, quàm ex vanitate, quâ miſeri turgeſcimus, dum digni nobis ipſis videmur, propter quos hæc oſtenta fiant? Quid enim? Declaravitne ter-Maximus Deus, fore, ut ſi quando Cometa in Occaſum tendat, caveamus ab externis, ſi in Ortum, à domeſticis? An Principes admonuit, ut caveantur ab iis Cometis, qui matutinum occupant ſignum, factum ipſis horoſcopum, aliaſque conſimiles nugas? Id cum applauſu excipitur:*

Manil. *Sæpè domi culpa eſt, ne ſcimus credere cælo.*

Neque ego ſanè improbo domeſtica mala, ſive Cometarum, ſive aliarum quarumvis rerum occaſione emendari. Sed quî patienter iſtos feramus, qui ſic ſpeciatim omnia definiunt, ſic bellè ſibi ſapiunt, quaſi quod ille ajebat, Jupiter Opt. Max. admiſerit ipſos in concilium Deorum? Citant exempla mille cladium? mille mortium Principum, quæ poſt Cometas acciderint: at centies plures prætermittunt, quæ acciderunt ſine Cometis; neque declarant, qua ratione ſiniſtri caſus per Cometas cuique aut innoteſcere aut

l.1. c.1. *declarari valeant. Scilicet nemo ſatis attendit: quia neque cum Seneca ſatis id ſibi objicit: Ergo tu in tantis erroribus es, ut exiſtimes Deos mortium ſigna præmittere, & quicquam eſſe in terris tàm magnum, quod perire mundus ſciat?* Hæc etiam Gaſſendus: contra quem & Scaligerum multi inſurgunt

Equidem litem alienam non facio meam. Occaſione tamen eorum quæ ex Scaligero & Gaſſendo attulimus, quæque contrâ eos objici ab aliis ſolent, veri & egregii publici ſtudio pro libertate & candore, qui quemvis hominem ingenuum & honeſtum decet, quid de hac re ſentiam eadem mecum ſtudia ſectantibus dico. Tantò magis cum hæc argumentum, quod tractandum ſuſcepi, tangant. Cometæ res ſunt naturales & ſigna cæli rariora quidem, non tamen inſolita, at à Deo ad anunciandam juſtitiam ſuam hominibus, & ut promiſſionum piis factarum, ita & minarum impiis oppoſitarum ſignum proponendum adhiberi arbitror. Et Fateor quidem diſertis verbis id in Sacro codice non legi. Doctiſſimo tamen Wendelino illa verba ex oratione Habacuci Prophetæ c. III. verſ. 4. & II. Ceratiæ & Acontiæ Cometæ accommodare viſum eſt. Quicquid de eo ſit, me æquitatis ratio, & ut probitatis commendandæ, ita publici egregii promovendi ſtudium in hanc mediam ſemitam deduxit

Principes, Regna, Civitates everti nullo viſo Cometa, tùm & hoc viſo multa læta fieri, Scaliger, teſte aſſiduâ experientiâ, veriſſimè dixit. At enim Cometæ ſymptomatum & mutationum naturalium non tantùm ſigna ſed & cauſæ ſunt. Ita eſt, ſi illis naturalibus propinqui eſſe & in ea agere ac in iis effectus certos

præſtare

præſtare demonſtrentur Cometæ. At quis hoc demonſtrabit? Contrarium potius demonſtratum eſt. Equidem mutationes naturales fiunt ſine illis aſſiduò. Tempeſtates enim, ſiccitas, fames, peſtis, ſi orbem univerſum æquis oculis ſpectes, continuò graſſantur. Cùm autem unius rei plures cauſæ dari poſſint, & probandum hujus ſententiæ aſſertoribus incumbit, Cometas inter cauſas harum rerum eſſe deputandas, & ſatis jam manifeſtò patet, illa naturalia nullo neceſſitatis vinculo cum Cometis jungi. Nempè quia naturalia ſunt & aſſiduò, at Cometæ rarius eveniunt. Civilium ſymptomatum & mutationum ſigna eaque ſupernaturalia fortè & cauſæ, ſed admodum indirectæ & remotæ, quibus proximæ modum imponunt, Cometæ ſtatuuntur. Ita removetur à Cometis neceſſaria illa efficientia, quæ libertatem naturæ humanæ, præſtantiſſimum Dei donum, violat. Proinde qui hoc dicunt, mihi hactenus ſatiſfaciunt. Quo enim loco Deus hominem poſuerit, & quomodo ſuprà alias res creatas extulerit, conſiderant. Quòd ſi Cometæ mortes Regum & converſiones ac ruinas regnorum indirectè ſignificant, ideò ſcilicet quia hæ apparitionem eorum ſequuntur, pari jure natales Regum & regnorum eorumque proſpera ſignificabunt. Qui autem lætis in Europa apparentibus, triſtia in aliis mundi partibus evenire conjiciunt, eadem velim æquitate tunc cum à viſo Cometa triſtia Europæ obtingunt, utantur. Eandem æquitatem deſidero dum ab apparitione Cometarum ſola funera, non nuptias, non natales Principum putant. Eorum verò pietatem & candorem exoſculor, qui & Cometis nos, ut de diſceſſu ſeriò cogitemus admoneri (hoc tamen & alia quæ in orbe eveniunt, præcipuè aſſiduæ naſcentium & morientium vices præſtant) & Reges propterea quòd delicatiùs vivant, & ſpiritus ſubtiliores habeant, à viſis Cometis ſiccitate concretis non mori, cum tot Senes & infantes delicatiores Regibus eos impunè videant iiſque ſuperſint, denique magis Principum quàm vulgarium hominum mortes Cometis ſuccedentes adnotari & celebrari, atque ſic portenta & præſagia ex Cometis conflari fatentur. Gaſſendus fateor libertate Philoſophica contrà Aſtrologorum prædictiones à Cometis petitas utitur. Fabulam & faſcinum, puto, ille dixit non hiſtoriam rerum, quarum veritas ſibi conſtat, ſed ex iis conflata præſagiorum decreta & ridicula, quæ Plinius refert, commenta. Cometas ex conſequentia, ut ajunt, ſigna eſſe & cauſas remotas & indirectas admodùm non tantùm belli, ſed & pacis, nec triſtium tantùm ſed & lætorum, fide experientiæ ex æquo dicimus. Et fateor quidem non omnes Cometas omnium oculis ob terræ rotunditatem exhiberi: ab eorum tamen apparitione læta quoque apud eos, quibus viſi fuerant, evenire, experientia docet. Fortè autem plures Cometæ vel nobis inconſpicui ſunt, cùm tamen aliis populis diverſo ſolo & cælo gaudentibus conſpicui ſint, vel etiam à nobis, præſertim ſi brevius, ut quidam aliquot diebus, horiſve, appareant, non obſervantur. Ideò cùm vel perpetua ſint, ut multis placuit olim & adhuc placet, vel ſaltim frequentiora, quàm obſervantur, ſidera Cometæ, non mirum aſſiduam rerum in orbe (in quo nil rectum, nil conſtans) viciſſitudinem ſignificari & videri. Quod ſi quæ Cometarum apparitionem ſequuntur his triſtia, noxia, lethalia, illis eadem ipſa læta, utilia, ſalutaria ſunt, licet non formaliter & propriè, ſed per concomitantiam quandam, apparet æquè læta quàm adverſa, ut Cometas ſequi, ita & eorum ſignificationi cum veritate imputari. Illa porrò læta & triſtia, eaque magna, majora, maxima, non tantùm ſingulis civibus, ſed & integris civitatibus obtingere, experientia teſtatur, ſive ea tritâ naturæ viâ & ordinario rerum curſu eveniant, ſive à Deo præmiorum & pœnarum nomine immittantur. Par enim utrûmque ratio ad probandam Dei juſtitiam integram habenda eſt. Ita Dei amor & timor conſervatur. Utinam illum omnes retineant cum hoc, ſed illo filiis convenienti, junctum! Alioqui verum eſt illud vetus, odiſſe peccare malos formidine pœnæ, & metum non clementiam compeſcere improbos. Mihi certè ſemper ea mens fuit, Cometas & alia cæli ſigna nec timenda nec temnenda,

L. 2. c. 25.

da, ſed ut induſtriæ & virtutis invitamenta, incitamenta & argumenta eſſe ducenda. Illas ex Cometæ ſitu vel colore petitas nullo certi colore divinationes triſtes, ut nugas, eaſque ut fatidica decreta & oracula ex tabulis divinis deprompta, ab iis quoque, qui Cometis triſtia tribuunt, reprobari, lætus animadverto. Neque verò hoc illis affingimus, Cometas ex eorum mente hoc illo anno bellum orirurum, vel Principem hoc vel illo modo moriturum prædicere. Sed dum urgent Cometis portendi ſolùm triſtia, oſtendimus & læta. Quò autem rariores apparent Cometæ, eò frequentiora in orbe apparent Regum & Regnorum buſta aliaque triſtia. Eclipſes ſicut & Cometas ex conſequenti portendiſſe etiam læta, experientia docet. Ita tàm hi quàm illæ bonis & malis aptari ex æquo & generis humani bono poſſunt. Ut mortium, ita & ſalutis ſigna Deum præmittere Sacra oracula contrà Senecam docent. Hæc pii & prudentes mirari poſſunt, alii abſtruſa rimari malunt. Ita in media inter ſuperſtitionem & impietatem via æquam & certam veritatis ſemitam nos monſtraſſe ſperamus, dum bona bonis, mala malis per Cometas divinam juſtitiam denunciare omneſque officii commonere probavimus. Alia certè nobis nec mens nec ſententia fuit.

Amſtelodamo Hamburgum d. 4. *Junii* 1667.

CUm videam, Clariſſime Domine, Te inter nos de Cometis diſputatà, publicæ luci deſtinaſſe, quod ego ne fieret rogaveram, neceſſarium duxi in poſtrema mea epiſtola poſteriora omnia, à verbis *ſed finem imponere*, expungere, & de novo quædam addere. Habui enim aliam reſponſionem paratam, quam Tibi ubi plus otii nactus fuiſſes mittere decreveram.

Dico igitur 1ᵒ me dubitare (1) an Cometis ullus omnino effectus in hæc inferiora tribuendus ſit, multo minus in voluntatem vel actiones humanas.

2 Nullam etiam ſignificationem naturalem (2), qualis v. g. iridis eſt, quæ aërem pluvioſum eſſe indicat, eiſdem tribuo.

3 Sed tantum ſignificationem (3) ex ordinatione divina, quo modo Iris ſignum eſt mundum diluvio non amplius periturum.

4 Credo autem eos præſignificare (4) mala, à Deo certis populis ni reſipiſcant infligenda, ſive ea proxime inſtent, ſive jam inceperint, vel earum cauſæ naturales adſint vel abſint. Deus enim omnium eſt director.

5 Quare non conceſſerim illos eſſe corpora (5) naturalïa, ex certis cauſis naturalibus pendentia; ſed à Deo ſpecialiter creata, abſque ejus ſpeciali & expreſſa novaque diſpoſitione non extitura.

6 Qualia vero mala, aut quibus hominibus immittenda ſignificent (6) ſoli Deo cognitum eſſe credo.

Tu ex continua rerum in orbe geſtarum ſerie vis probare, ſi Cometæ mala portandant malis, eos etiam bona præſagire bonis, quia tam bona quam mala omnium Cometarum apparitionem exceperunt.

Voces autem *portendere*, *præſagire*, *præſignificare* &c. alio ſenſu (7) quam eas à mea eſſe acceptas noſti, intelligis, nempe ſi homines ex conſideratione tam inſignis phœnomeni, cujus Deus eſt author, ipſum ex animo reveri & colere incipiant & pergant, præmia, ſi in peccatis perſeverent, plagas à Deo exſpectandas habere.

De eo vero ego nunquam litem tibi intendi, ſed an nihil aliud (8) circa Cometas credere nos oporteat.

Dicis vero, Te malum omen à Cometis arcere velle, & probare eos tam bona quam mala præſagire, hoc autem facere debes eo ſenſu (9) quo id ab aliis contra Te aſſeritur.

Itaque dico Te nec in Tuo libro, nec rationibus in Tuis ad meas literis allatis probare quod debuiſti, & quod inter (10) nos quæritur, nempe Cometas

propterea

propterea à Deo non eſſe in cælo collocatas & creatas, ut eſſent ſigna malorum imminentium, & ab irato nunime ob peccata hominum, niſi reſipiſcant immittendorum.

Videris quidem id duabus potiſſimum rationibus efficere, quarum prima deſumta eſt ex verbis Jer. 10. 2. ſeqq. 2da ex experientia, quia Cometas tam bona quam mala ſemper exceperunt.

Non jam quæritur an Tua ſententia affirmativa, ſit impia, an utilis? nam utilem eſſe nemo inficias ibit.

Sententia vero Tua (11) negativa, qua id quod ego ſtatuo negas, non tantum non utilis, ſed etiam periculoſa (12) aliquo modo mihi videtur, utpote quæ nos, quamvis id ſummopere amoliri coneris, ad talia phœnomena deſpicienda quaſi manu ducit.

Ad primum igitur Tuum argumentum reſpondi, & quidem in hunc ſenſum: ſic enim argumentaris, vel ſaltem, ſi mihi (13) contradicere vis, argumentari debuiſti: Si Cometæ mala ſignificarent, (hoc enim eo ſenſu quo ego ſtatuo negas) deberent ab hominibus metui. Deus autem Jerem. x. 2 prohibet ſigna cæli metuere. Ergo Cometæ non ſignificant mala.

Reſpondeo primo, negando conſequentiam: nam quamvis Cometæ mala ſignificant, non tamen ea inferunt, quare non ſequitur nos eos debere (14) metuere. Sic campanæ ſonitus in curia, erectio baculi, quem virgam juſtitiæ vocant, ſignum eſt ſumendi ſupplicii de maleficis, nec tamen campanam vel baculum iſtum, ſed magiſtratum metuere debent. 2. Verba Jeremiæ non prohibent metuere ſigna cæli quaſi malorum prænuncia, ſed tanquam malorum cauſas, id eſt tanquam Deos qui coli debeant, ne nobis noceant, quod & ipſe conceſſiſti. Iſto itaque ſenſu Cometas metuere non debemus. Sed quid ſi Deus tam ingentem Cometam in cælo collocaret, ut ſuo æſtu aquas exſiccaret, fructus exureret, peſtes & morbos induceret, an Deus (15) nollet ut à tali Cometa nobis metueremus? non ut ab aliquo numine, vel cauſa efficiente malorum, ſed ut à flagello Dei, & cauſa inſtrumentali.

Venio ad ſecundum argumentum; quod ita formandum eſſe exiſtimo.

Si Cometæ mala, vel (16) ſola mala ſignificarent, tum non tantum ſemper, ſed etiam ſola mala eorum apparitionem conſequi deberent.

Sed non tantùm non ſemper mala, verùm etiam multa bona Cometarum apparitionem excipiunt.

Ergo Cometæ non ſignificant eventura mala, vel ſaltem ea non ſola.

Majoris veritatem, ut videtur, tanquam indubitatam præſupponis, ejus enim nullam, quod memini, in toto Tuo opere, probationem inveni.

Minorem verò per experientiam ex omnium ſeculorum hiſtoria adſtruis.

Ad majorem igitur propoſitionem dico, eam non ſimpliciter eſſe veram, nam primo, quod nil niſi mala illorum apparitionem excipere deberent, ſi ſolorum malorum eſſent prænuncii, nullo (17) modo ſequitur, imo ne poſſibile quidem eſt in rerum natura, ut ſola mala ſequerentur, 1. Quia (18) mundus ſic non poſſet conſiſtere. 2. Quia non omnibus hominibus, ſed certis tantum, nec omnia, ſed certa tantum quædam (19) mala Cometæ minitantur. Quare nihil mirum eſt læta quædam illorum apparitionem excepiſſe. Nam 1. plurima triſtia neceſſario (20) aliis læta ſunt, ut victoriæ & ſimilia. 2. Triſtia non poſſunt ſemper eſſe in eodem loco, alias illi quibus ea accidunt neceſſario interirent. Ita neceſſario ſterilitatem (21) ſequitur fertilitas, peſtem ejus ceſſatio, bellum, pax &c. Itaque nihil opus eſt ut ea quæ neceſſario evenire debent, quando Deus mundum vel populum aliquem non penitus perditum it, per Cometas futura indicentur, ſed ea quæ non neceſſario exiſtere debent, & ſine quibus mundus ad finem uſque conſiſtere poteſt, qualia ſunt clades, peſtes, bella externa & inteſtina, annonæ caritas, & ſimilia, quæ talia ſunt, de quibus S. Literæ aperte teſtantur, ea hominibus in peccatorum pœnam à Deo infligi, prout ipſe ſatis, qua es eruditione, optime noſti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

Deinde quod, quamvis Cometæ quidam ab Auctoribus annotati ſunt, nec tamen ab eis triſtia eos ſecuta recenſeantur. 1. Fieri poteſt ea per negligentiam non eſſe ſcripto conſignata, cujus rei ſuſpicio ex eo confirmatur, quia id in (22) pauciſſimus admodum Cometis locum habet. 2. Si quos fortè nullum malum excepit, fieri potuit ut homines quibus mala à Deo erant deſtinata, per pœnitentiam iram (23) ipſius averterint. Quare exinde non ſequitur Cometas ex ipſius Dei intentione non ſignificare mala eo quo dixi ſenſu.

Video autem unum argumentum mihi adhuc examinandum reſtare, quod ita ſe habet:

Si Cometæ mala (24) denunciant, aut ut cauſæ illa denunciant, aut ut effectus, aut ut coëffectus.

Sed nec ut cauſæ, nec ut effectus, nec ut coëffectus Cometæ denunciant mala.

Ergo nequaquam ea denunciant.

Reſpondeo, negando majorem, nam alio præter tres iſtos modo Cometa poteſt ſignificare malum, nempe ex compacto, ſive (25) inſtituto divino, quo modo iris mundum aquis non eſſe delendum ſignificat. Itaque probandum contra me eſſet, eos eo modo non ſignificare mala: quare iſtud argumentum adverſum me non facit.

Poſſent vero multa ad iſtud argumentum reponi ab iis qui Cometas mala efficere ſtatuunt, non enim video arg. iſtud eſſe ex omni parte validum; ſed quia iſtam ſententiam rejicio, non opus eſt plura hic à me adjici.

Ad hæc ſi quid reponere Tibi viſum fuerit, benè eſt, ſin minus, ego mea ſine iſtis lucem non adſpicere mallem.

Reſtat ut præter illa quæ antea ad meæ ſententiæ confirmationem attuli, pauca quædam adjungam. Prædicit Deus Joëlis cap. 2:30 *ſe daturum mirabilia ſigna in cælo & in terra, antequam magnus & terribilis iſte dies Domini veniat.* Item Luc. 21.25: *Et erunt ſigna in Sole, Luna, & Stellis, & in terris anxietas &c.* Quibus in locis cum ad Hieroſolymorum excidium (26) Sp. S. reſpiciat inter ſigna iſta *in cælo & ſtellis* proculdubio ea numeranda ſunt, quæ Fl. Joſephus narrat de Cometa gladii figura, per totum (27) annum in cælo fulgente. Cum vero S. Scriptura teſtetur iſta ſigna fore ſigna malorum & exitii quod Judæis imminebat, certum eſt Cometam iſtum, ex Dei inſtituto (28) mala portendiſſe. Quod vero ipſorum exitium, Romanorum, qui ipſos exſciderunt victoriam includat, contra me non facit. 1. Quia Tu non credis Cometas eo ſenſu (29) bona ſignificare quo ego eos mala portendere contendo. 2. Qui hoc vellet, ex S. Scriptura deberet probare, ſigna iſta de quibus Joël & Lucas agunt, victoriam vel læta (30) iſta ſignificatura, quemadmodum ad malorum iſtorum ſignificationem à Deo ſunt ordinata. 3. Repugnat iſtud directè verbis textus, ubi ſigna iſta quaſi (31) minacia, non quaſi aliquid boni promittentia, prædicuntur, prout cuivis verba ipſa inſpicienti manifeſtum eſt. De ſtella Magorum non opus eſt aliquid dicere, cum nemo (32) poſſit probare illam fuiſſe Cometam, imò contrarium potius apud omnes fere in confeſſo ſit. Multa quæ ad ea quæ adfers (33) reſponderi poſſent; ſed propriè ad quæſtionem non facientia, prolixitatis vitandæ gratia, prætereo. Optaſſem vero me ſciviſſe quod epiſtolas meas ad alios miſſurus fuiſſes, & Te mecum ipſorum judicia communicaſſe, potuiſſem enim limatius mea Tibi mittere, & quædam quæ liberius coram amico protuli omittere, ipſoſque melius de mea ſententia informare. Video enim non tantùm meam cum Aſtrologorum confundi, à quibus longiſſimè abſum; ſed ante omnia miror Amici illius Marchiaci judicium, *qui me quæ per accidens fiunt, per ſe fieri putare, quæ ab arbitrio pendent, neceſſitati ſubjicere, quæ indifferenter ſe habent, determinare, ſubordinata ſibi invicem opponere affirmat*, quæ omnia à me adeò aliena ſunt, ut non ſatis mirari queam, ex quibus meis verbis iſta extorquere potuerit, cum nihil unquam ſimile dixerim. His & ſimilibus à me occurri tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

peſtive potuiſſet. Videtur quidem his difficultatibus aliquo modo remedium fuiſſe adhibitum, ſi authoris nomine ſuppreſſo hæc ederentur, quod Tu facere voluiſti. Ego autem rationibus non levibus adactus, nomen adſcribere decrevi, quocirca hæc addere neceſſarium eſſe duxi. Vale charum pectus, & mihi ut facis favere perge

Die 4. Junii 1667. St. N. *Tuus ex aſſe. F. Cuperus.*

Hamburgo Amſterodamum die 20. *Jun. Gregor.* 1667.

QUæ de Cometis ad me ſcripta publico donari per modeſtiam nolebas, ea ego publico utilia & luce digna judicavi. Tantò magis quòd mihi aſſentire videbâre, utpote æquam & moribus convenientem ſententiam proponenti. Cum autem nuper controverſiam, quam credebam compoſitam, reſumſeris, & non pauca, nec ſilentio prætereunda, ſententiæ meæ oppoſueris, non tàm libenter, utpote relegendo operi & colligendis erroribus intentus, & aliis laboribus aſſiduis gravatus, quàm meritò, reſpondere Tibi debui. Sed paucis & αὐτοσχεδιαστί, ut vides, & brevibus iſtis notis, quas Tuæ epiſtolæ, appoſitis numeris barbaris, accommodavi: eâ inſuper lege, quam ipſemet tuliſti, ne quid amplius Tuis addas, vel tàm Tuam epiſtolam poſtremam quàm hancce meam ſupprimas. Fateor enim ægre me id à me impetraſſe, ut aliis laboribus preſſus pauca hæc Tui cauſſâ adderem. Tu velim cuncta boni & æqui conſulas.

1. Ego puto me ſufficienter id probaſſe. Vide vel ſolas xxx. theſes meas.

2. Conſentio tibi Cometis nullam ſignificationem naturalem competere, præcipuè eorum reſpectu, quæ ad voluntatis humanæ libertatem pertinent.

3. Piè hoc dici, ſed non verbis Script. S. probari poteſt.

4. Docui ex æquitatis divinæ ratione, non tantùm mala, ſed & bona Cometis portendi, cum Deus omnium curam habeat, omnium ſalutem quærat, & omnium ſit, ut director, ita & auctor ac Salvator, qui & malos minando, imò & caſtigando, ad bonum juvat.

5. Hoc adverſatur experientiæ Mathematicorum præſtantiſſimorum, qui Cometas in cælo generari & corrumpi docent.

6. De occultis tutò judicium dubium fertur.

7. Voces has impropriè me accipere, ſemper dixi.

8. Judicavi ſatis mihi nunc eſſe, ut id ſolum probem.

9. Demonſtravi Cometas nec mala, nec bona propriè ſignificare.

10. Nolebam litem Tibi citra neceſſitatem movere, contentus eo quòd attulerim Tibi & cuivis æquo probata.

11. Contrariorum eadem eſt ratio. Si ſententia mea affirmativa, Cometen ſcilicet impropriè ſignificare bona bonis, mala malis, eſt utilis: negativa, ſive negans ſibi contrariam, Cometes ſola mala malis ſignificat, nulla bona bonis, periculoſa eſſe non poteſt.

12. Nullum periculum metuendum, dum à me non creatur, nec in ſimpulo fluctus excitandi. Toties clarè dixi, nec deſpiciendos nec ſuſpiciendos Cometas.

13. Contradicere Tibi nolui unquam, ſed potius mediam ſententiam æquitati divinæ & ſaluti humanæ convenientem perſuadere. De loco Jerem. x. egi in literis ad Te & ad Amicum Noricum.

14. Si Cometæ ſola mala portendunt, & quidem propriè, imò, ut nonnulli ſtatuere non verentur, ea generant in aëre, terra, mari mentibuſque adeò humanis, metuendi ſunt non ut numen, vel ut cauſſæ primariæ, ſed ut ſigna malorum neceſſaria, vel eorundem cauſſæ ſecundariæ. Unde Cometæ timendi & tremendi, mala ferentes, triſtes ſemper nuncii audiunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

15 Si vel Deus hoc faceret, Deus non tale ſignum cæli, metuendus nobis foret ſcientibus à qua manu ictus iſte veniat.

16 Subaudi, propriè & neceſſariò ac inevitabiliter, imò, ſi Cometæ mala efficerent, ut citra hæc nulli viſi unquam fuerint. Hoc enim dicere Poëtæ & Aſtrologi non verentur: quô poſito, quis mala eorum apparitionem ſemper & ſola conſequi dubitabit? Hinc illis Cometæ Prophetæ novi, ſaltem Prophetis comparandi.

17 Propriè dicti & cum neceſſitate, imò cum efficientia ſola mala patrandi.

18 Inde apparet eos non ſola mala, ſed & bona prænunciare impropriè, propriè verò nec illa, ut omnis neceſſitas à voluntate hominis removeatur.

19 Ex mente Cometomantum cuncta mala, nulla bona.

20 Ergo ſi Cometæ prænunciant bella triſtia, pænunciant & victorias lætas ex conſequenti.

21 Ergò jure conſequentis ſaltim, Cometæ bona quoque ſignificant. Hinc Ethicum Symbolum: *Bona Bonis*, *Mala Malis.* Vid. theſ. meam IX, XII, XXVI, XXVII. &c.

22 Hoc verò documento eſt, quàm diligentèr adnotent Auctores Cometarum triſtes eventus. Et certè ſat ſolertes in eo fuerunt, ſed & ſine reſpectu ad Cometas, triſtia omnis ævi hiſtoria enumerat.

23 Hoc quidem etiam verum eſſe exemplo Ninivitarum docemur, quibus prædicatio Jonæ pro Cometa aliove ſigno cæleſti fuit. At enim tot exemplis docemur læta & bona Cometis ſuccedere.

24 Hoc argumentum eſt Fieni, Eraſti & aliorum Philoſophorum.

25 Quod de inſtituto divino adfers, Philoſophi Theologis relinquunt, ut videre potes in iis quæ ad me Amicus Noricus & Kirſtenius ſcripſerê. Non ſignificare Cometas mala eaque ſola, propriè, ex inſtitutione divina, manifeſtum eſt, cum id Deus in verbo ſuo non revelarit.

26 Non fugit eos ratio, qui hæc ad ultimum Chriſti adventum, inter quem & illam Judaicam panolethriam nil datur ſimile, itaque ut utrumque meritò conjungatur, dum calcatur à gentibus Jeruſalem uſquequo impleatur tempus gentium, referunt: tùm qui per hæc ſigna in Sole & ſtellis maximas malorum procellas à Scriptoribus Sacris deſignari & figuratè deſcribi ex ſtilo S. Script. docent.

27 Multi hoc phœnomenon extra cenſum Cometarum ponunt.

28 Cometas illius temporis læta quoque & bona ſignificaſſe, impropriè ſcil. vide in hiſtoria Cometæ LXIV. & LXVI.

29 Impropriam ſignificationem ſemper urſi.

30 Ex conſequenti hoc probatur.

31 Minacia malis, ſed læta bonis. Additur enim, *Omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.*

32 Eodem modo & jure probatur hoc phœnomenon Cometam eſſe, quo illud urbi Jeruſalem imminens: imò meliori, cum ultra 6. menſes veteres & recentiores Philoſophi ſtatuerint.

33 Conſidera quæſo XXX. theſes meas, non ſola illa quæ de hoc negotio ad Te ſcripſi. Conſidera & reliqua quæ ad alios Amicos. Quod ſi tamen hæc tibi nondum ſatiſfaciant, licet mihi aliud Tua æquitas polliceatur, en Tibi plura ab Yſenio, quæ ſubjicies meis, ſi velis. Sed nec illi in perficiendis figuris Cometarum occupato vacat, nec video longiorem de hoc argumento diſputationem neceſſariam eſſe. Tantò magis quod ego longè plurima, quæ operi meo inſerenda judicaveram, omiſerim, ut quamprimum ad optatam metam perveniam, ad quam ideò manibus pedibuſque contendo. Vale Vir Amiciſſime & mihi conſtantèr fave.

Judicium de hac controverſia amicum, Doctiſſimi Viri M. Conradi Yſenii.

Notæ F. Cuperi in hoc Judicium.

EXpreſſe Propheta dicit: Ne timeatis ſigna cæli, quod faciunt Gentes. Gentes autem in genere nominat. (*a*) At gentes plerique, maximè Philoſophi Chaldæi & Ægyptii, unde vanitas Aſtrologiæ manaſſe perhibetur, ea non ut Numina, quæ liberrimè agere non ignorarunt, nec, ut ſigna cæli, certis motuum & viciſſitudinum legibus obnoxia eſſe: ſed ut quæ ex inſtituto Divino mediantibus influxibus in hæc terrena agant, proque ſui varia viciſſitudine varias item terræ mutationes inducant, quæ etiam modernorum Aſtrologaſtrorum eſt opinio.

Verùm quando ſententiam hanc à ſe removet Amicus, non eſt quod de ea ſoliciti ſimus hac vice, utut verba Prophetæ ſatis per ſe clara cuivis attendenti: Nullatenus metui debere ſigna cæli, argumento à contrario, more gentilitio, velut in hunc modum diſpoſito: (*b*) Mos gentilitius non tanget populum Dei: Metus ſignorum cæleſtium eſt mos gentilitius: ergo metus ſignorum cæleſtium non tanget populum Dei Judæos. Undè ſatis liquet voculam QUOD hîc non tam comparativè ſignificare ſicut, quam potius cauſaliter QUIA denotare, ut ſit ſenſus non metuent Judæi, quod (vel quia id) faciunt Gentes: perinde ut illa Chriſti: *Ne quæratis quid edamus? quid bibamus? quibus veſtiamur? Nam hæc omnia quærunt Gentes* Matth. VI. ℣. 31, 32. atque hinc adeò metum omnem ſiderum hoc loco prohiberi. Quod verò certò atque indubitato malum inferre conſtat, quî ſine metu mentem ſubibit? unde legitimâ conſequentiâ deducitur, ſi cæli ſigna ne metui quidem, tum nec mala portendere debere: quod utique probat exemplum ab ipſomet amico depromptum campanæ curiæ, cujus pulſum ut portentum infligendi ſibi jam jam ſupplicii maleficum neutiquam horrere vel metuere quis affirmaverit, niſi qui eâdem opera contenderit lapidem non hominem eſſe. Quin & ipſemet amicus haut obſcurè Cometas metuendos innuit, non quidem ut numen & cauſas efficientes, cauſas tamen (*c*) inſtrumentales & flagella Dei, uſque adeò conceptus impendentis mali ſine metu non poteſt eſſe, ipſis etiam adverſariis judicibus.

Sed ad rem & ipſam Amici ſententiam. Ea eſt: Cometas non eſſe corpora naturalia ex certis cauſis naturalibus pendentia: ſed à Deo ſpecialiter creata, præſignificare mala à Deo certis populis, ni reſipiſcant, infligenda: atque hinc adeò nullam habere ſignificationem naturalem, ſed eam tantùm ex ordinatione Divina, quomodo Iris ſignum eſt mundum diluvio non amplius periturum. Omnis igitur hujus aſſertionis cardo vertitur in eo: Cometas eſſe malorum ſigna ex inſtituto divino. Hoc ut certo ſciatur (nec enim dubia vel etiam falſa pro indubitatis venditare aut venditanti ſine ratione credere fas eſt) neceſſariò requiritur Divina revelatio. (*d*) Cui enim Dei inſtitutum noſſe datum ab ipſo Deo non revelatum? revelatum autem ſit oportet vel mediatè modo ordinario, vel immediatè extraordinaria via, quandoquidem non datur hîc tertium.

Quis autem unquam auſus eſt aliis immediatam extra ordinem hac de re ſibi factam revelationem perſuadere? vel, ſi quiſquam eo proceſſerit audaciæ, quibus indiciis fidem dictis faceret? Reſtat igitur, ut ordinario ſolummodo perveniamus ad notitiam Decretorum Dei, mediante libro vel naturæ vel Scripturæ. In tota (*e*) Scriptura Sacra ne apex de Cometis, unde igitur ex ipſis de Cometis quid certò ſtatui poteſt? Quo ſacræ paginæ loco perhibentur Cometæ ſigna malorum futurorum, ſicut perhibetur de Iride quod ſignum ſit mundi non amplius diluvio perituri? Quàm ſæpè variis calamitatum generis legimus inobedientiam pertinaciſſimam populi ſui caſtigaſſe Deum? nec unquam horum prænuncium vel ullum animadvertimus Cometam, quod intermiſſum hautquaquam fuiſſet, ſi Deo per Cometas futura mala portendere fuiſſet viſum, vel

(*a*) Prophetam nil niſi metum idololatricum prohibere, manifeſtum eſt, à quo illi qui Cometas malorum cauſas eſſe ſtatuunt, non ſunt immunes.

(*b*) Qui cæli ſidera pro ſignis arbitrariis habet, ea nullo modo metuit, ſed tantum ſignificatoris Dei iram, ſi eam peccatis ſuis provocavit.

(*c*) Expreſſe hoc negavi & pernego.

(*d*) Rationes quæ id evincunt, vide in prima mea Epiſtola. Qui negant Cometas aliquid ſignificare, ſtatuunt illos eſſe corpora naturalia, quod ego nego.

(*e*) Ego vero ex S. Sacra Scriptura etiam probationes in poſtrema epiſtola attuli.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

ideo maximè, quod hoc ad emendationem noſtram facere poſſet, quam intendit potiſſimum Scriptura 1 Cor. x. 11. 2 Tim. III: 16, potius invenimus è ſacris (f) Prophetas hujuſmodi mala futura præſignificaſſe, quos ad ipſa quoque Veritas nos ablegat: *habent*, inquit, *Moſen & Prophetas, audiant illos* Luc. XVI. 29. à Cometis autem ut ſignis cæleſtibus avocat potius: *Nolite metuere ſigna cæli quæ metuunt gentes. Nec inveniatur in te qui ariolos ſciſcitetur, vel divinos conſulat*, Deut. XVIII. 10. 26. 31. *In quibus divinationis Spiritus, morte moriantur* Lev. XX. 27. *Stent & ſalvent te angures cæli qui contemplabantur ſidera & supputabant menſes, ut ex iis annunciarent ventura tibi* Eſ. XLVII. 13. Quæ citat Amicus in hanc ſententiam ex Joël. II: 30, D. Petrus de ſignis ac motibus ſpiritualib. Novi fœderis interpretatur (g), Act. II: 16 ſeqq. at quid hæc ad Cometas? Signa, quorum Salvator meminit Luc. XXI. 25, ut & illa Joël. II. ſi huc applicare libet, (h) non ſunt ejus generis. Referuntur enim illa (i) peculiaria ſigna diei extremi, hinc procul dubio brevi ante ipſum apparitura, nec ea ſecundum ordinem naturæ conſueta, qualis v. g. perhibetur Eclipſis tempore paſſionis Chriſti. Jam autem Cometæ vulgares, ut & Eclipſes luminarium ordinariæ, jam inde à condito mundo longè ante & poſt Chriſtum natum apparuerunt, ut hiſtoriæ fides & ſimul ratio ſuadet, in his ergo nil novi aut inſoliti: ex naturalibus cauſis ut paulatim oriuntur, ita ſenſim intereunt: * eorundem motus, & affectiones aliæ, mente præcipi atque ab artificibus prædici poterunt, experientiâ certiſſimâ teſte: quod facile quis de ſupernaturalibus, ex certis cauſis naturalibus minimè pendentis quod vult Amicus, ſolius Dei nutu actis, nec abſque ejûs ſpeciali diſpoſitione extituris, haut affirmaverit. Nihilominus tamen etiam ſupernaturalia illa, quorum Chriſtus meminit, non merè malorum indicia; ſed & bonorum bonis, ipſo indice Salvatore noſtro, illuſtri à ficulneis fructibus petita ſimilitudine: (k) *levate*, inquit, *capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra &c.* 28. ſeqq.

(f) Prophetæ in ſpecie denunciant mala, eoque deſcribunt, ſigna cæli in genere.

(g) Nego, probandum hoc eſſet.

(h) Et hoc negatur.

(i) Et hic errare mihi videtur amicus. Videatur poſtr. mea epiſtola.

* De Eclipſibus nunquam locutus ſum, ſed de Cometis.

(k) Hęc verba non indicant ſigna iſta ipſorum lætitiam præſignificaſſe, ſed iſtis malorum portentis apparentibus, tempus liberationis eorum appropinquare.

Cometam Hieroſolymitanum ejuſdem cum ordinariis, de quibus nobis res, conditionis haut eſſe argumento eſt ſitus, qui deſcribitur continuus unius anni integri ſuper urbem, quod ope ſolius naturæ ſine ſingulari Dei concurſu non facile concipitur evenire poſſe, quæ hujus Cometæ circumſtantia fidei hiſtoricæ debita ſi vel infringi, vel in dubium vocari meritò poſſet, nihilo plus facere convinceretur hic ipſe Cometes ad præſignificationem excidii Hieroſolymitani, quàm (l) Eclipſes luminarium loco citato memoratæ, quæ tamen excidium hoc præceſſiſſe proximè, nullæ memorabiles, ne dum ſupernaturales & præter conſuetum ordinem naturæ, leguntur. Unde reliquum eſt ſignorum hîc loci, non excidii Hieroſolymitani, ſed extremi ſeculi potiſſimùm fieri mentionem. Neque proinde Sacras Literas præſignificationi Cometarum patrocinari. Suppeditabit ergò pro eadem, ſi qua ſit, argumenta, Natura ipſa. Provocant hic uno omnes ore Cometomantæ ad unam rerum Magiſtram Experientiam, hanc ſolam crepantes ſuæ ſententiæ vindicem protrudunt invitam. Nullus, inquiunt, impunè viſus unquam ferali crine Cometes, cuncti lernam ſecum traxere malorum: ſemper igitur apparentem Cometam è veſtigio ſequitur mali quid, ac idcirco mali prænuncius & ſignum Cometa quicunque. Contra hos rectiſſimè depromſit Argumentum Auctor ex hiſtorica fide: prioribus enim ad concurſum extraordinarium ac ſpecialem Numinis fugientibus, auctoritate ſacra jam ſatiſfecit. Major adverſariorum eſt, hinc nec probatione eget. Eſt enim eorum argumentum hujus modi: Quod ſemper mala poſt ſe trahit illud eſt malorum prænuncium. Cometæ ſemper mala poſt ſe trahunt: ergò Cometæ ſunt malorum prænuncii. Negat Auctor partim majorem univerſaliter veram, quod in hac argumentatione requiritur, partim minorem. Majorem: quia minimè ſufficit ad præſignificandi vel prænunciandi rationem ſemper mala ſequi, ni ſimul & ſola ea ſequantur, cæteroqui ſi & bona Cometæ præcedant, indifferentem habebunt præſignificandi vel prænunciandi rationem tam ad bona,

(l) Si Cometæ apparitio eodem modo quo eclipſes prædici poſſet, & ex naturæ curſu penderet, eſſet aliquid quod Amicus affert.

Ad hæc omnia ſufficienter puto me reſpondiſſe in poſtr epiſtola.

quam

quam ad mala, quin ea ratione præſignificandi privilegio excident potius, maximè cùm ex hac ſola, nec enim aliunde poterunt, roborare ſententiam ſuam ſatagant. Major igitur ſic eſt reformanda: Quod ſemper & ſolum malum præcedit, eſt mali prænuncium. Sic minor experientiâ manifeſtâ convellitur, nec idipſum diffitente vel diſſimulanta Amico, niſi quod regerat, fieri poſſe ut quædam ſecuta mala per negligentiam non ſint ſcripto conſignata. Verùm, eſtne credibile curioſam illorum hac in re diligentiam uſque adeò famoſam, ut etiam longius diſſita, non minus interdum antecedentia quam ſequentia, ſine delectu violenter corraſerint & in unum compulerint quaſi gregem, ut Cometam malorum invidia premerent, hîc ſibi defuiſſe? potius hoc de bonis inſecutis conſignandis licebit ſuſpicari, cùm ejus in promptu ſit ratio manifeſta; contrarium verò de malis. (*m*) Cæterùm hic in anguſtias acti qui fugiunt ad intentionem Divinam & ſignum ex compacto, quouſque probaverint id ipſum ex aliis validioribus iiſque certioribus fundamentis, principium petunt, in argumentum trahentes id quod eſt in quæſtione. Quanquam autem ſatis eſt, adverſariorum ceu partis affirmantis, argumenta refutaſſe; tamen ex abundanti, ſyllogiſmo ex ipſorum allatis argumentis evidentius multò collecto convelli poteſt, & ſic velut proprio ferro jugulari illorum opinio, in hunc modum: (*n*) Omne ſignum ſive prænuncius malorum certus trahit ſemper & ſola mala poſt ſe: Cometæ non trahunt ſemper neque ſola mala poſt ſe: Non ergo ſunt prænuncii vel ſigna malorum certa. Signum autem ſive prænuncium non certum vel incertum, ne ſignum quidem eſt: implicat enim contradictionem Cometas mala certis populis præſignificare, nec tamen certò quibus prænuncient quemquam ſcire poſſe præter Deum. Qui enim prænunciari dici poteſt quod neſcitur? & unde ſciunt prænunciari quod ignorant, & qui dici poteſt certis populis prænunciatum, cùm qui illi ſint ne ſciatur quidem? certumne quod ignoratur & neſcitur? vel an Deus eget ſignis, & non potius mortalibus erigitur quicquid unquam ſignorum? Sufficit autem ad experientiam provocantes experientiâ repuliſſe, naturalem ex ea Cometarum indifferentiam tam ad bona, quàm ad mala deducendo. Reliquam Auctoris, Ethicam præſignificationem concernentem, ſententiam, cum nec Amicus in dubium vocare videatur, eademque jam ante ſatis enodata ſit, hac vice meritò præterire fas eſt.

(*m*) Si quis ex profeſſo velit probare Cometas mala tantum præſignificare, omnino ipſi quod D. Yenius innuit probandum incumbit. Ego vero partim id feci, ſed ideo non teneor quia nihil aliud mihi initio propoſueram, quam rationes, quibus ſententiam illam oppugnat, examinare.

(*n*) Argumentum iſtud prorſus eſt inefficax. 1. Quia ſignum aliquod poteſt ſub conditione reſipiſcentię mala ſignificare. 2. Impoſſibile eſt ut ſola mala ſequantur, niſi ſimul è vita tollantur omnes quibus ſignum aliquod malum portendit. Nonne

virga juſtitiæ malum ſignificat ſonti qui capite plecti dignus, flagellatione ſola dimittitur? ſequitur tamen iſtud ſignum magnum bonum, nempe vitæ condonationem. Sic v. g. ſi Cometæ ſterilitatem in hordeo, tritico, & aliis eſculentis portenderent, an interim non poſſet abundantia eſſe olei, vini Apoc. 6. 6, nec non victoriæ, mercaturæ commoditas &c, Sic ergo major aliquid falſitatis habet. Quod vero dicit ſigna incerta ne ſigna quidem eſſe, nonne omnia fere ſigna incerta ſunt, campanæ ſonitus indicat, concionem eſſe habendam, quoties autem & quam facilè iſtud impediri poteſt. Nonne medicorum ſigna, ex quibus de qualitate morborum, inſtante ſanitate, morte &c. judicant, omnia ſunt incerta, & tamen ſigna ſunt, quæ ſæpè non fallunt. Rubor cæli matutino & veſpertino tempore, ſigna ſunt pluviæ vel ſerenitatis, ſed incerta.

Ex Marchia Hamburgum d. 20. Aug. 1666.

LEgi diligenter tàm Amici Tui Amſterodamenſis objectiones quàm reſponſiones Tuas ei factas, quamvis inter varias occupationes meas, quæ non patiuntur, ut Tibi ſolidum ſuper hac quæſtione dem reſponſum & judicium, quod deſideras & à me expectas. Ut tamen Tibi obſequar, ſententiam meam paucis dicam, & liberè quidem, ſicut mones. Quod ad objectiones Amici illius attinet, is quæ per accidens fiunt, per ſe fieri putat, quæ ab arbitrio pendent neceſſitati ſubjicit, quæ indifferentèr ſe habent, determinat, ſubordinata ſibi invicem opponit. Quod ad Tuas reſponſiones, eæ nec mihi, fateor, ſatiſfaciunt, adhuc quidem. Non enim de hac materia cum debita cura, quæ moram & otium requirit, inter ſtrepitus negotiorum meditari potui. De veritate ſententiæ Tuæ nondum judicare poſſum. Videor enim mihi me nondum eam plenè intellexiſſe fundamentaque ejus ignorare. Ideò etiam nondum video quàm commodè verba Jeremiæ Prophetæ c. x. 2. allegaveris. Velim itaque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

ſententiæ Tuæ de Cometis fundamenta mihi exponas, tùm etiam quid voce *præſagiendi* intellectum Tibi velis, explices. Non enim ſufficit dicere, Te eam in latiori ſignificatione ſumere. Exempla de ambitione & avaritia integram rei difficultatem non exhauriunt, & Ethicis non Phyſicis conveniunt. Sunt enim cauſæ ſubſequentium malorum vel neceſſariæ per ſe, vel ex Dei decreto & deſtinata pœna. Itaque non videtur mihi hanc vocis iſtius acceptionem latiorem dici poſſe. Quæro igitur an eodem modo bona bonis & mala malis portendat Cometa, quo Concionatur malis mala, bonis bona prædicat; an vero primariò malis mala denunciet, & nonniſi per conſequens vel vi contrariorum bonis bona? Si poſterius, explicare mentem Tuam ab initio debebas. Prius vix probare poterimus, ut ſcil. unicum ſignum numero & forma ſit ſignum iræ atque gratiæ divinæ, ſive naturaliter, ſive præternaturalitèr erigatur. Iris e. g. ſignum eſt gratiæ tantùm, & principalitèr bonis bona denuncians, mala malis nonniſi per conſequentiam, ſi quis gratiâ ſe indignum reddat. Simile à Te allatum de Sole alitèr in lutum, alitèr in ceram agente, quadrat in illas res, quæ Amicus Amſterodamenſis *bona* vocat, licet mala ſint in ſe: ſed non in Cometas, ubi quæſtio eſt, quid portendant & cui fini appareant. De Sole respondetur, ut calefeciat: quod autem calor diverſum in diverſis objectis pariat effectum, id de Cometis dici nequit, quos extra cauſas collocamus. Quadraret ſi de Sole dici poſſet, quod & calefaceret & frigefaceret. Exiſtimo igitur maximam Tibi hic difficultatem iſtam occurrere, ut probes unum idemque ſignum nihil mutatum, duo contraria ſignificare poſſe & debere, aut unquam ſignificaſſe, de quo dubito. Significationis enim Ethicæ & Phyſicæ diſtinctio parum Te meo judicio juvabit. Sol etſi bonis & malis paritèr lucet, malis tamen non malè lucet, ſicut Cometa malis mala denunciat. Is ſi Concionatori ſimilis, erit certè Jonæ ſimilis. Hic autem in ſignum iræ divinæ & interitûs dabatur primariò, contrarium nonniſi à Ninivitis colligebatur. Contrariorum enim eadem eſt ratio. Atque hæc nunc ſufficiant. Vale.

Hamburgo in Marchiam d. 30. *Sept.* 1666.

LOngè majores, crede mihi, me circumſtant & premunt undique & aſſiduò occupationes, in opus, ut noſti, non exiguum toto pectore incumbentem. Ideò ad Tuas eveſtigio reſpondere non potui: quas profectò habui gratiſſimas. Fundamenta meæ ſententiæ noſſe cupis? En Tibi hæc paucis. Divinæ æquitati conveniens credo piis præmia, impiis ſupplicia deſtinata, parata, ſemper & ubique prædicari & denunciari, ut verbo Dei, ita & ejus ſignis, illis præſertim Cometarum rarioribus & quodammodo extraordinariis. Hos in terrena agere, eiſque inſignes mutationes adferre, ordinariæ divinæ providentiæ non congruere arbitror. Ad actiones hominum voluntarias eos vi quadam propè ineluctabili concurrere, libertati humanæ divinæque juſtitiæ repugnare non dubito. Eiſdem non tantùm mala, ſed & bona ſuccedere, illa etiam ſine Cometis evenire, luce meridiana clarius ſtatuo. Cum autem ad hanc rem rectè dijudicandam cognitio generationis Cometarum & loci in quo lucent, ſive ſedis eorum vel maximè pertineat, de his quoque nonnihil tibi ſcribam. Ac primùm ſententiam Petri Gaſſendi, & percelebris & pereruditi Mathematici (cujus Te librum non habere, certò ſcio, vidiſſe, meritò dubito) Tibi exponam. Ariſtotelis ſententiam de Cometis inferioribus Lunâ difficultate magnâ laborare ſolidè docet. Sed mox & contrariam Tychonis (ante hunc Cometæ ſedem ſupra Lunàm inveſtigaſſe, Gothorf. Vendelinus Vir apprimè doctus de ſe ait) aliorumque ſententiam, difficultatis non eſſe expertem adnotat. Tùm verò & Libavii aliorumque ſententiam (quam & Tychoni Frodmondus tribuit) Cometas per condenſationem viæ lacteæ generari improbat.

Non

Non pigebit ipſa ejus verba Tibi adſcribere, ut omnium, ita & horum ſtudio-
rùm, quod benè ſcio amanti: *Eſt quidem*, inquit, *Cometa colore quàm ſimil-
limus galaxiæ, quem apparere talem conſtat ob innumerabilium ſtellarum aggeriem;
ſed cum hæ ſtellulæ ſint fixæ, facilis eſt captu illarum aggeries: at Planetulas, quibus
ſingulis debeantur motus proprii, ita coïre inter ſe, ut momento ingens Cometa appa-
reat; ut non prius variè diſperſi ſeorſumque coëuntes, quaſi quidam glomi videantur,
ut non proinde ſæpius in conſpectum veniant, ut præter nativam impreſſionem, unum
eundemque motum omnes ſubeant, cæteraque hujuſmodi, nemo eſt, opinor, qui facilè
capiat.* Gaſſend. Phyſicæ Sect. 2. l. 5. c. 1. pag. 703. de Cometis. Refert de-
hinc ſententiam Snellii, celebris quondam apud Batavos Mathematici. Is pu-
tavit *Cometam eſſe quoddam veluti fruſtulum decerptum ex Solari maſſa: videlicet ali-
quam unam ex majoribus illis maculis, quas ſuperius innuimus probabile eſſe ex corpore
Solis, ceu nubes quaſdam eructari* &c. Sed objicit Gaſſendus: *Ut taceam natura-
lem macularum motum eſſe circularem, contineri illas à Sole magneticâ vi, non mi-
nore eâ, quâ terrena omnia continentur ab ipſa terra: nullam maculam tantam conci-
pi, quæ diffuſioni tantæ ſufficiat (niſi & Sol ſenſibile molis detrimentum patiatur) cæ-
teraque ejuſmodi: hoc unum videtur apertè huic opinioni repugnare, quod ſit velut ex
accidente, prodire interdum Cometas ex ipſis Solis radiis, cum plerique ſint, qui in
primo exortu longè à Sole & non procul à polo boreo conſpiciantur: & ſint qui non à So-
le ad meridiem exſiſtente dirigantur in boream, ſed potius à borea in meridiem tendant.*
p. 704. Nec Keplerum præterit, inter præcipuos certè Mathematicos ponen-
dum, cujus etiam aliorumque ei adſentientium exemplo nihil certi de Cometis
ſtatui poſſe demonſtrat. Refert itaque hos opinari *auram ætheriam variis in locis
concreſſere in moles quaſdam orbiculares, & haſce moles ſeu concretiones motione acce-
ptâ luceque imbibitâ Cometas evadere: neque ferri minus frequentes per immenſitatam
ætheris quàm piſces per vaſtitatem maris: tametſi ut eos ſolum piſces, qui dum ſtamus
in littore, non procul prætereunt, videmus: ita ex Cometis ii ſoli apparent, qui à no-
bis in terra digentibus non procul ſemitam inſtituunt. Iſtos qui à nobis videntur acci-
pere à Sole lucem & caudam idcircò geſtare, ipſamque à Sole averſam, quod ipſa nil
aliud ſit quàm effluvium ex capite vi lucis trajicientis factum, adeò ut Cometa effluxu
continuo demum exſolvatur. Verum ut taceam cætera, huic ſententiæ obſtat, tùm quòd
dici non poſſit, quonam modo aura ætheria aliàs placidiſſima non modo in concretionem
moveatur, ſed etiam concreta motum tàm velocem accipiat: tùm quòd nulla concipi poſ-
ſit capitis Cometæ tanta denſitas, quæ effluxioni tantæ tàm continenti, tàm diuturnæ
ſufficiat.* Sed & illam Ariſtoteli notam Italicorum quorundam qui Pythagoræi
dicebantur, tum Hipprocratis, Æſchyli, Chaldæorum, Diogenis, Phavori-
ni, Appolinii Myndii, Poſſidonii, Artemidori & Senecæ ſententiam, quæ
& multis Recentiorum neceſſitatem ſignificationis, & ſolius quidem ſiniſtræ,
à Cometa removentium placet, Cometas eſſe Planetas extraordinarios, certo
tantùm tempore apparentes, improbat. *Poſtremo*, inquit, *facere Cometas ex ope-
ribus naturæ æternis, dictu longe eſt quàm captu facilius: ſiquidem mundus tantus non
eſt, ut tantis illis corporibus perpetuam ſtatamque excurrendi licentiam faciat. Quip-
pe cum immenſi deberent eſſe circuli qui illos tàm longis intervallis reducerent: & nul-
lus Cometa ad nos bis acceſſiſſe memoratur.* Concludit tandem: *Cum igitur videa-
mus ubique difficultates occurrere, planius eſt, ut nihil definiamus.* Ne pluribus te
morer: maximi quique Mathematici, Joannes Regiomontanus, Thomas Ha-
gecius, Tycho Brahe, & antè eos Meſſhala, clarus inter Arabes (hi tamen
ſunt curioſiſſimi ſiderum rimatores & ingenioſiſſimi interpretes) inter occulta
naturæ miranda potius quàm rimanda, & humano intellectui impervia, Co-
metas poſuerunt. Adhæc excellentiſſimi quoque Mathematici, quos mox vi-
debis, Cometis nullam efficientiam in terrena, omnium minimè in humana,
tribuunt. Unde igitur alii habent illa, quæ tanquam Oracula pronunciant,
dum de capite hominis ex aſtris decernunt, & ex Cometis de ſalute Regum
& Regnorum ſententiam ferunt? Modeſtos & pietati publiciſque utilitatibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

deditos Aſtrologos, quibûſcum & ipſe amicitiæ fide jura & commercium lite-
rarum colo (quorum nonnullos & Tu noſti & amas) excipio. Illos vanos, au-
daces & turbidos peto, &, ſi precibus locus, ut ſuæ & aliorum ſaluti aliâ ra-
tione conſulant, melioremque credulis mentem ac Rebuſpub. quietem reſti-
tuant, peto. Sed progredior ad Tuam de mea ſententia & quæſtione ſenten-
tiam. Tàm Amici Amſtelodamenſis quàm Tuæ objectiones mihi pergratæ ſunt,
eruntque ſi eas amplius feceritis. Oculos enim mihi in multis aperiunt, & ad
quæ reſpondendum ſit aliis meæ ſententiæ adverſantibus, demonſtrant. Ita-
que ſi vobis, quod non immeritò ſpero ſatiſfecero, multis aliis ſimul ſatiſfa-
cturum me non dubito. Præſagii, prodigii ut & portenti voces dum Cometis
adhibeo, impropriè me eas & in laxiori ſignificatione accipere, res ipſa docet.
Nam propriè & ſtrictè, ut in Scholis loqui ſolent, Cometæ præſagia, pro-
digia nulla præbent. Hoc quippe tantùm Deo, Angelis & hominibus compe-
tit. Quod ſi Cometæ rerum futurarum ſigna naturalia, neceſſaria & cauſſæ
forent, portenta propriè & ſtrictè dici poſſent. Sed hoc negant Maximi qui-
que Viri Dudithius, Scaliger, Eraſtus, Fienus, Fromondus, Squarcialu-
pus, Cyſatus, Gaſſendus, Kircherus, Ricciolius, Hevelius, Bullialdus
& alii quàm plurimi: niſi quòd nonnulli ſigna eſſe ex inſtitutione & intentio-
ne divina, ut in omnibus Dei operibus conſpicuâ, ita in illuſtribus Comerarum
phœnomenis, piè, credo, demonſtratâ & confirmatâ, admonendis officii ho-
minibus exhibita & velut illuſtria mnemoſyna in cælo erecta agnoſcant. Hoc
argumentum quodammodo pertractare, ut Tibi de mea ſententia conſtet, ani-
mus mihi nunc eſt. Tantò magis quòd ſciam Te carere libris, ex quibus hæc
petenda. Ante omnia definitionem Cometæ Tibi dabo. Sed Ethicam. Phyſi-
cam à Phyſicis & Mathematicis pete. Cometa mihi eſt ſignum ſupernaturale,
artificiale, arbitrarium, doctrinale, indicativum, memoriale, quo & Deus
vias ſuas homini ſignat, bona bonis, mala malis denunciat, & homo ratione
ac divinæ voluntatis notitiâ præditus, ejuſque intentioni & inſtitutioni obe-
diens, officia ſua ſibi in memoriam revocari patitur & gaudet: è contrario of-
ficiorum negligens minas denunciatus timet ac horreſcit. Cometam ſignum eſſe,
ſive ille inter ſidera perpetua vel temporaria referatur, ſive cenſu ſiderum exi-
matur, & inter meteora vel rariora phœnomena ponatur, jus phœnomenis quo-
que cæleſtibus (qualis & iris eſt, licet momento tranſeat) conveniens evincit.
Unde non pauci ſigna illa, quorum Chriſtus in Euangelio meminit, ad Co-
metas quoque, qui *ſi ſtellæ non ſunt, ſed tamen ſtellarum quædam imitamenta*, ut
Doctiſſimus Ricciolius* ait, transferunt. Jus verò illud ſatis bonum habet Co-
meta: cum longè diutius iride duret: certè melius quàm fulgur, fulmen,
chaſmata, trajectiones & alia meteora, quæ momento diſparent. Supernatu-
rale ſignum dixi Cometam. Nam etſi naturalis generatio Cometæ rectè & certò
definiri poſſet (quod in medio relinquo) tamen ſignificatio ejus ſpecialis huic
vel illi populo & homini nil niſi malum portendens certo definiri nequit. Ar-
bitrarium, doctrinale, indicativum & memoriale, quia & Deus ex pacto cum
homine vult omnibus operibus ſuis eum vias ſuas docere, juſtitiam ſuam indi-
care, officia in memoriam revocare, & homo ſanâ ratione & voluntatis divi-
næ cognitione inſtructus, ac ejus intentioni & inſtitutioni, ut ubique conſpi-
cuæ, ita in illuſtribus Cometarum phœnomenis piè conſtitutæ, ſtudia ſua ac-
commodans, ſe hoc ſigno notabili doceri & officii admoneri conſiderat. Ita
& boni per hæc phœnomena eximia (ut quidam Vir doctus Aſtronomiæ cul-
tor egregius in hac urbe degens, cui hæc ipſa, quæ vides, dijudicanda mi-
ſeram, judicat) de providentia divina & ſingulari ejus cura, quâ ſuos reſpi-
cit, certiores fiunt, & mali de majeſtate irati & juſti Dei fuſius mirando tan-
to melius informantur, Patre cæleſti, etiam dum iratus virgam manu tenet
& oſtentat, filiis probis, minando & plagas infligendo improbis, conſtantiam
in virtute injungente & commendante, premiaque promittente, vel etiam
diſtri-

* Almag. T. 1. 2. p. c. 2. n. 3. Vid. c. 5. n. 11.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

diſtribuente. Porrò Cometam non eſſe ſignum naturale bellorum, famis, peſtis aliarumque calamitatum, inde Viri docti probant, quòd Cometa nec ſit cauſa rei ſignificatæ, nec ejuſdem effectûs, nec quiddam à communi cauſa cum rebus illis profectum. Hoc autem etiam illi urgent, qui inter eos Cometam halitum eſſe in aëre infra Lunam accenſum cum Ariſtotele putant. Ac qui eos in æthere ſupra Lunam generari aſſerunt, ab eorum mente tàm procul eſt Cometæ efficientia in inferiora agens, quàm eſt ab iſtis ipſe Cometa. Sequi multa triſtia Cometas palam eſt, non tamen inde ſequitur hæc ab eis effici. Sequuntur enim eos & læta multa. Nec tamen hæc ab eis effici quiſquam dixerit. Non igitur & illa efficiunt. Nam par eſt utrûmque ratio. Signa tamen naturalia mutationum aëris, tempeſtatumque eſſe illi fatentur, qui eos infra Lunam ex fumis calidis & ſiccis generari & in vicina agere putant. Nec tamen neceſſario nec ſemper id Cometas efficere, teſte experientiâ fatentur. At qui eos cælo vindicarunt, in tàm magna diſtantia nullam eis efficientiam in terrena concedunt. Cometas multos ſinè malis viſos: multaque viciſſim mala ſine Cometis Dudithius, Scaliger, aliique demonſtrant. Imò verò Dudithius, Squarcialupus & alii plura exempla pro Cometis, quàm contrà Cometas produci poſſe affirmant. Cometæ itaque illis non portendunt mala propriè nec naturaliter: Niſi fortè portentum naturale, cujus ortum & cauſſam natura reddere poſſit cum Simone Grynæo intelligas & divinis portentis oppònas. Tunc enim & Cometa portentum non minus quàm parelii & paraſelenæ erunt. Artificialia ſigna Cometas eſſe admittunt Viri docti, ut ſcilicet ex intentione Dei & hominis obſequio vel contumacia portendant bona vel mala. Conſentaneum nempe rationi eſt ſi Cometa eſſet ſignum naturale, certum & neceſſarium eſſe debere, ſicut ipſe certus unus eſt. Quòd ſi certum, hujus non ullius mali, temporis & populi ſignum foret. Hoc autem dicere illi ipſi, qui Cometarii & Cometomantes vulgo vocantur, ſaltim plerique non audent. Nam & qui à ſitu & colore Cometæ præſagia deducunt, palàm falſi ſunt. Manet igitur Cometam non eſſe ſignum naturale, ſed ſupernaturale, artificiale arbitrarium, memoriale, intentioni tribuendum divinæ, ſapienter & juſtè ac benignè cum homine quem non tantùm creârit, ſed & ratione & libertate præditum eſſe voluerit, agenti. Prout verò is libertate illâ ad bonum vel malum utitur, ita Cometa bonorum vel malorum eventuum ſignum eſt. Verbo: Cometa à natura quam Deus ordinario agendi modo relinquit, producitur, & à Deo ad commonendos officii mortales adhibetur. Saltim intentio hæc hominis ad pietatem ducens improbanda non erit. Nullum enim ab ea pietati, libertati, æquitati periculum. Imò pro eis ſtat & certat; ſicut ex iis, quibus ad Amici Amſtelodamenſis oppoſitiones reſpondi, perſpicis. Quod ſi illis validæ ſuppetunt contra neceſſitatem & efficaciam Cometarum circà voluntatem humanam rationes, qui eos halitum infra Lunam accenſum opinantur, multò fortius rem urgent qui eos in cælum, imò in fixarum orbem tranſtulerunt. Tolle enim Cometas aëreos, omnia ſimul fatidica decreta Aſtrologorum ab eis peti ſolita ſuſtuleris. Atqui hoc firmis rationibus, imò demonſtrationibus Mathematicis adſtruunt præſtantiſſimi quique Aſtronomi. Ita patet quàm infirmo fundamento nitantur illa Cometarum triſtia præſagia. Illi ipſi qui ea captant, in occaſu Lunares vel alibi poſitos omnium bonorum prænuncios eſſe fatentur. Iidem verò quàm parum illa certa ſint, oſtendunt. Nam & proluviem univerſi prodigium & bellorum aliorumque malorum, ut ait Peucerus, Vir aliàs egregiè doctus de divinat. ut & terræ motum portentum eſſe, & tamen utraque à Cometis provenire dicunt. Ita & tonitrua, prodigia, incendia quæ ea ſecuta ſunt, iterum prodigia: Cometæ Eclipſeων & hæ aliorum malorum prodigia habentur. Ita illis res naturalibus cauſis deputandæ prodigia, & aliæ has ſecutæ imo ab iis, ut ajunt effectæ, nova ſunt prodigia. Nam calidorum & ſiccorum vaporum aëra petentium collectionem vel Planetarum conjunctionem, Cometæ, hunc terræ motuum, vel Eclipſeων, vel in-

undationum, vel incendiorum: iſta belli; hoc famis; hanc peſtis; faciunt prodigia. Adeò illis ferax prodigiorum & portentorum propago: attamen id frequentius quàm hæc cuncta ſimul uni Cometæ tribuere. Nec illud tacendum, Joanni Milichio, Viro certè pereruditо, qui in Plinii lib. 2. Commentarium doctum nobis reliquit, eclipſes & Planetarum conjunctiones eſſe prodigia certiſſima, Cometas & trajectiones incerta dici. Quomodo itaque ad Cometas eclipſes referendæ? quomodo prodigia & ut certiſſima quidem, conjunctiones Planetarum, alia eaque incerta generant prodigia Cometas? Prodigia & portenta tàm de hominibus ſeditionum & calamitatum publicarum auctoribus,
Cic. de prov. Conſ. & orat. in Piſon. quàm aliàs de ipſis vitiis, non tantùm Oratores & Hiſtorici, ſed & Philoſophi uſurpant: impropriè ſcilicet & in laxiori ſignificatione. Idem mihi juris, dum de Cometis ago. In hominum vitiis, non in crinibus vel caudis Cometarum
Urſperg. Chron. fine. mala demonſtro. Illa mihi, non iſtæ, portenta & prodigia calamitatum,
Sigonius l. 17. de regno Ital. quæ earum ſunt, divinâ juſtitiâ & bonitate extra omnem culpæ ſuſpicionem poſitâ, cauſæ reipſa, & in prudentiorum animis certa propemodum indicia & præſa-
Plin. l. 19. c. 4. Milich. in Plin. l. 2. c. 25. gia: quæ eis Cicero 1. de divin. tribuit. Num Eccleſiaſtæ more Cometa bonis bona, malis mala annunciet, μεταφορικῶς ſcilicet, an verò malis primariò, bonis verò per conſequens tantùm & vi contrariorum? quæris. Prius mihi ſemper placuit magis, qui ideò Cometam & fideli Conſiliario ac monitori ſæpius comparavi: licet, ſi vel poſterius elegiſſem, metam tamen attigiſſem. Sed paribus auſpiciis in campo Moralis Philoſophiæ rem agere volui, Æquitatem nimirum Dei demonſtrare hîc erat animus. Hæc enim tàm in præmiis diſtribuendis quàm in pœnis irrogandis utriſque per Verbum, ejus præcones, & rariora Cometarum phœnomena in memoriam revocandis cernitur. Unum numero & forma ſignum requiris, quod ſit iræ & gratiæ ſimul divinæ ſignum naturaliter vel præternaturaliter. Non inconveniens attuliſti illud Iridis. Sed en tibi Serpentem æneum in deſerto! en ipſum ejus antitypum Chriſtum, qui in ſignum ſalutis & perniciei, fidei & contradictionis poſitus! en illud filii hominis ſignum appariturum, in ultimo ejus adventu & fine mundi, qui à nonnullis per Cometam futurus creditur. Hoc vel maximè bona bonis, mala malis æquè nunciabit, ut Chriſtus Dominus Luc. XXI. docet. Licet autem tale ſignum Cometam eſſe Deus in ſacris oraculis nobis non revelârit, tamen id ex inſpecto magno operum divinorum libro, ubique, præſertim in exercenda in bonos maloſque juſtitia omnibus libris, ſignis, operibus denunciatâ, conſpicuo colligitur, inque eo legitur. Solis diverſam actionem in variis ſubjectis non immeritò attuliſſe me puto. Formaliter enim tantum calefacit. At materialiter ſive materiæ in quam agit, ratione liquefacit & indurat. Idem bonis & malis lucet, ſicut Cometa utriſque denunciat. In eo tamen differunt, quod notas, Solem utriſque benè lucere, Cometam bona tantùm bonis, mala verò tantùm malis denunciare. Nempe Sol agit tanquam cauſa naturalis. Cometa tanquam ſignum artificiale. Ita ibi exemplum eſt Phyſicum, hîc Ethicum. Quod etiam obſervandum eſt, cum Cometam concionatori comparo. Concionator enim propriè dictus & vultu & verbis alium ſe bonis, alium malis præbet. At Cometa utriſque quod convenit, unus idemque forma & ſitu denunciat, nempe ut mutus Concionator, acclamans omnes

Diſcite juſtitiam moniti.

Hæc Tibi nunc de hoc argumento dicenda habui: plura daturus ſi eis opus eſſe, ulterioribus oppoſitionibus teſtari volueris. Verbum addo: Wernerum Rolevinckium, faſciculi temporum auctorem, occaſione Cometæ Anno 1394. in forma veru, quem Aſtrologi peſſimum judicant, viſi, hæc adnotare: *Raro vidi prænoſticationes de influentiis cæli factas, veritate fulciri. Nam de futuris contingentibus non eſt determinata veritas. Ac ſapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum, ut Salomon & Apoſtolus teſtantur. Inſuper qui ex nihilo omnia creavit, ille per electos*

ſuos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

ſuos amicos poteſt ea faciliter immutare, dicente Propheta Pſal. 101. Opera manuum tuarum ſunt cæli, & ſicut oportorium mutabis eos & mutabuntur. *Et licet ſtellæ & planetæ cauſent generationes & corruptiones in iſtis inferioribus, ut patet* 11. *Phyſic. tamen hoc ſe non extendit ad actus & opera hominum, ſicut ſunt prælia, diſſenſiones, preſſuræ gentium &c. Ad talia etenim, licet per influentias cæli homines aliquando inclinentur, non tamen neceſſitantur: aliàs arbitrium hominis non eſſet liberum. Ideò Ptolemæus dicit*, Vir ſapiens dominabitur: *ſcilicet reſiſtendo influentiæ cæleſti.* Hæc ille.

Ex Marchia Hamburgum die 18. *Novemb.* 1666.

ACcepi rectè literas Tuas die 30. Septemb. datas de argumento Cometico, ſive de ſignificatione Cometarum, benè longas. Ad has breviter Tibi hîc reſpondeo. Crede enim me quoque occupationibus gravari multis, imò & laboribus haud levibus exerceri. Fateor me nondum concipere, quomodo dici queat, Dei verbum & ſigna, intellige eadem numero (nam de talibus tantummodo inter nos quæſtio eſt) ubique & ſemper piis præmia, impiis ſupplicia denunciare. Nunquam enim ſignum gratiæ, ſignum iræ, & ſignum iræ, ſignum gratiæ; verbum item iræ, verbum gratiæ, & contrà eſt, cum hæc ſint contradictoria. Hoc totidem verbis Scripturæ, quotquot Deus gratiam atque iram ſuam denuncians protulit, probatur, dum nunquam iiſdem numero verbis gratia atque ira prædicatur, ſed ſubinde aliis atque aliis ſibi contrariis. Idem de ſignis ſtatuendum. Videris igitur mihi componere ea, quæ dividenda erant. Non enim inter nos quæritur, an verba Dei integrè vel compoſitè ſumta, & ſigna Dei in genere ſumta utrumque ſibi velint, iram nimirum & gratiam, bonum & malum, ſed quid ſibi hæc vel illa verba atque ſigna in individuo velint ex Dei mente, ſive naturaliter, ſive ſupernaturaliter, ſive arbitrariè? Deinde exempla, quæ adducis, id ipſum quod ego volo, non verò quod Tu vis, probant. Ego enim ſentio, ſive ſignum, ſive verbum, ſive Præconem, ſi utrumque denunciare dicendus ſit, non eodem modo id intelligi debere, ut contradictio tollatur, Tu contrà. Ad quam rem probandam, dum iridem (quam non inconvenienter me attuliſſe ſcribis) ſerpentem æneum, Chriſtum in ſigna iram atque gratiam divinam eodem modo indicantia datos eſſe aſſeris, miror. Quomodo enim probari vel concedi poteſt, iridem tàm in ſignum vindictæ, quàm gratiæ datam hominibus, æneum ſerpentem tàm ad mortem, quàm ad vitam exaltatum in deſerto, & Chriſtum antitypum mundo à Deo tàm in exitium, quàm in ſalutem conceſſum vel miſſum eſſe? Diſtinguendum enim eſt inter uſum & abuſum rerum, aut ſaltem inter Dei voluntatem antecedentem & conſequentem. De illa ſola inter nos quæſtio eſt, dum quærimus, quid ſibi Deus per ejuſmodi ſigna velit, non quid & quantum abuſui conceſſerit, & quam pœnam contemtoribus ſignorum gratiæ immiſſurus ſit, aut quantam gratiam pœnitentiam ad ſigna iræ acturis facturus ſit. Eſt autem inter illa differentia tanta quantum diſtat cælum à terra. Voluntas enim conſequens noluntatis etiam eſt, quod de antecedenti dici nequit. Ideò puto Te identitatem ſignificationis non poſiturum, & diverſitatem potius tollendæ contradictionis cauſâ clarius indicaturum. Arbitrium Dei & hominum uno ore omnes aſſerunt breviſſimis verbis: *Aſtra non neceſſitant* quamvis inclinant. Sed de his ſatis.

S. P. *Voluntas conſequens noluntatis etiam eſt.* Ex. gr. quando Chriſtus ſignum contradictionis & lapis offenſionis dicitur aut eſt, id Deo quaſi invito fit, & non tàm volente, quàm permittente, cum potius mali homines id velint, quod Deus non vult: prohibet enim ſcandalum & contradictionem iſtam, minatur pœnam contradicentibus, quia id non vult. Quod verò Chriſtus ſit in reſurrectionem, id Deus per ſe ac primariò & propriè vult & amat, & ut homines ſe erigant in Chriſto jubet, & iraſcitur quando iis Chriſtus non eſt in

reſurrectionem. Eſtne hoc in ſignum lapſûs & reſurrectionis dari eodem modo ex mente ſeu voluntate Dei? Sic iris atque æneus ſerpens in ſignum gratiæ tantùm dati ſunt, in ſignum iræ vel mortis non à Deo dati, ſed ab hominibus per abuſum tranſmutantur, Deo id nolente ac puniente, & quicquid hic Dei voluntatis accedit, nonniſi ſapiens permiſſio ac directio eſt, non propriè voluntas. Clarius adhuc dicam, quæ ſit differentia. In propriè dicta voluntate, qui finem vult, vult etiam media, atque Deus ſalutem hominum in Chriſto volens, vult etiam fidem atque pœnitentiam, incredulitatem atque contumaciam media damnationis non vult. Ergò non mortem peccatoris. Sed ſi quis invito Deo contumax eſſe velit, Deus id vult permittere atque punire. Vides quantum hæc à ſe diſtent: Ut Chriſtum Salvatorem appellare deceat, imò neceſſe ſit: perditorem mundi, impium ſit, niſi valdè impropriè. Hæc ad Tuam theſin applica. Propriè atque primariò ac per ſe Deus ſigno quodam nonniſi alterutrum contradictoriorum ſignificare vult atque intendit, ſive ſerpente, ſive iride, ſive Cometa, alterum nonniſi permiſſivè & contra voluntatem ſuam primam evenit. Nos planè hîc non quærimus, quo ſucceſſu vel eventu ſignum aliquod à Deo erigatur, cum is ſæpius contra Dei voluntatem ac inſtitutum ſit, ſed quo fine & qua intentione. Succeſſus & eventus poteſt eſſe alicujus facti vel operis contrarius: ſed finis nequaquam. Sic finis illius Cometæ ante excidium, ſignum excidii erat: ſi verò pœnitentiam egiſſent Judæi, contrarium eveniſſet, non quòd eam gratiam hoc ſigno Deus prædixiſſet: ſed quòd iram quam ſignum minitabatur contra Cometæ illius naturam vel ſcopum avertiſſet. Sic Chriſtus, ſic ſerpens, ſic iris ex inſtituto Dei nil niſi gratiam denunciarunt, & in hunc finem à Deo ordinati ſunt. Si contrarium eveniat, id contra Dei voluntatem & inſtitutum fit ipſo permittente, ut homines ſibi id quod in ſalutem tantùm datum erat, in exitium pervertant, & gratiâ Dei abutantur.

Hamburgo in Marchiam Kal. Januariis 1667.

PRæmiſſo ex more ſincero novi anni & plurium ſequentium cunctis bonis & gaudiis cumulatorum voto, paucis (ſi magnitudinem multiplicis argumenti ſpectes) ad Tuas literas d. 18. Nov. datas reſpondeo. Paucis dico, tùm quòd ſatis jam de hoc argumento dixerim, tùm quòd ad finem operis omnibus viribus contendens, temporis mei parcus ſim diſtributor. Ideò nec eveſtigio ad Tuas reſpondere potui. Idem numero verbum Dei, utpote mutus concionatur & præco, piis præmia, impiis ſupplicia ſimul denunciat Eſa. 3. & alibi paſſim. Quin & tunc cum alterutrum facit, alterum indicat, præſuppoſito juſtitiæ divinæ fundamento, quod in aperto eſt. Itaque iiſdem numero verbis nunquam Dei gratia & ira ſimul prædicatur: ſed eodem numero verbo. Adhæc nunquam illa duo iiſdem numero verbis prædicantur explicitè, ſed implicitè ſemper, ex noto illo & immobili juſtitiæ divinæ argumento. Ac proinde ſicut unum Dei verbum compoſitè ſumtum præmia & ſupplicia denunciat, & eadem numero verba implicitè id præſtant: ita & Cometes unus numero, tanquam Concionatur, vel conſiliarius vel Præco, ſed MUTUS, & REBUS ſui apparitionem ſecutis, quæ plura, ut viſus auditu acrior eſt, & latius patet, præſtare quàm verba poſſunt, NON VERBIS docens, introductus, Ethicè & impropriè utrumque ſine contradictionis periculo præſtare poteſt. Nempe dum piorum & voluntati Dei obtemperantium felicem ſortem hac occaſione ob oculos poſitam nobis intuemur, ſimul miſeram impiorum & contumacium conditionem in memoriam nobis revocamus. Atque hoc non alio ſenſu exempla de iride, ſerpente æneo & Chriſto huc pertinere dixi (niſi quòd plus de Cometa ſigno in Scriptura Sacra indeterminato, quàm de illis, quæ certum finem in verbo Dei determinant dici eique tribui queat) idque me ſatis clarè expoſuiſſe putavi. Alioqui ſi iſta quæ Tu dicis ſimplicitèr & ab-

ſolutè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

ſolutè intelligerentur, contradictionem hæc involverent, fateor. Identitatem ſignificationis propriè & ſtrictè loquendo, non admitto (licet ſignum contraria portendens pro ratione ſubjectorum, vel etiam efficiens idem in ſe maneat) ſed tantùm ejuſdem numero phœnomeni ſignificationem indifferentem & æqualem ad duo diverſa ſubjecta eodem tempore, & modo in ſeſe, ſed non eod. reſpectu ad utraque ſe habentem. Nam unum numero ſignum, etiam naturale, uno eodemque tempore, imò & modo in ſeſe, ſed non eodem reſpectu, quin potius pro diverſitate ſubjecti, portendere (voce latiùs acceptâ) poſſe contraria, docet pluvia, quam me in literis ad Amicum Amſterodamenſem attuliſſe pro exemplo, noſti. Prout enim in agros depreſſos vel elatos, uliginoſos vel arenoſos cadit, ita ſterilitatis & ferilitatis ſimul ſignum inde & cauſa eſt. Sic & dum nares ſtillant ſanguine vel alii corporis meatus, ſignum hoc eſt, ſed in diverſis ſubjectis, atque ſic eodem tempore & modo, ſed diverſo reſpectu, modò ſanitatis melioris, modo gravioris morbi, imò & mortis. Exiſtimo itaque diverſitate ſubjectorum eandem actionem diverſimodè recipientium contradictionem à mea ſententia arceri, & hanc controverſiam dirimi. Adeoque rectè diverſitatem ſignificationis Cometarum in mea ſententia hactenus ponis, in qua ſola identitas ſignificationis ipſius ſigni, tùm temporis & modi reſpectu locum habet. Accedit me Cometam cauſis actionum à voluntate humana proficiſcentium prorſus eximere, & ſignum ac portentum ſtatuere non Phyſicum, ſed Ethicum, non neceſſario aliquid ſignificans & determinans, ſed arbitrarium & memoriale, eumque per ſuetam proſopopœjam, morum commendandorum gratia, introducere. Quid ni igitur eum BONA BONIS, MALA MALIS portendere & denunciare dicam?

Cometas, præſertim in aëre noſtro (ſi qui tales dantur, de quo nunc non diſputo) generatos, vel eum trajicientes poſſe ex vicinia in hæc inferiora, præcipuè in aërem, aliquid agere, non nego. Sed ſine Cometarum apparitione quoque mutationes in aëre & in his inferioribus evenire, ab experientia demonſtro. Quanto magis dicendum eſt, ſine Cometis actiones hominis voluntarias fieri? nam ſi illi non neceſſariò ad actiones naturales concurrunt, quantò minùs ad liberas?

Inclinare aſtra hominem quodammodo, quod ad actiones naturales attinet, paritèr non nego: ſed eadem voluntatem hominis & ab ea profectas actiones excitare vel dirigere, & in hominum mentes liberas influente vi malefica ſævire, cum illa uſibus noſtris ſervire juſſa ſint, ut credam induci non poſſum.

Quæ porrò de voluntate Dei antecedente & conſequente, de uſu & abuſu, de fine & eventu piè & prudentèr doces, veriſſima ſunt. Sed in iis locum habent, quæ expreſſe à Deo revelata vel præcepta verbo ejus ſunt. Alia autem eſt ratio ſigni, & quidem impropriè dicti, quale mihi Cometes eſt: cui plus, ut paulò ante innui, quàm iridi vel ſerpenti æneo, quæ certum quid ex præſcripto Dei determinabant, accommodari poteſt. Idcirco quæ ad commendandam pietatem, damnandam impietatem morum faciunt, ne alterutrum negligamus, meritò ei tribuimus & applicamus. Qua in re non ex fine & intentione divina, de qua Tu iterum piè & eruditè diſſeris, prout in Scripturis Sacris prodita eſt, quæ de Cometis nil docent, ſed ex annalogia juſtitiæ & eventibus Cometarum bonis & malis, de iis judicium æquum bono generis humani ferimus.

Ac verum quidem eſt Dei voluntatem & intentionem ad bonum omnia dirigere: verumtamen præſuppoſitâ hominum malitiâ verbum Dei & ſigna cæli non tantùm bonis præmia, ſed & improbis ſupplicia portendunt & denunciant. Chriſtus ſemper Servator manet licet impiis perditionem denunciet, & allaturus ſit: & quæ impietatem redolent, non tantùm impropriè non dicenda, ſed nec cogitanda ſunt.

Crinita & alia quævis ſtella (ut omnis res à Deo creata) manet bona, etſi

vèl

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

vel homines eâ abutantur, vel impiis illa interitum denunciare dicatur. Horum contumacia pœnitere neſcia Dei intentionem & conſilium irritum reddit adverſus ſe ipſum, quod in Phariſæis & Legis peritis videmus, idque meretur, ut Deus, qui nil niſi bonum & ſalutem intendit, de perdendis impiis cogitationem ſuſcipiat, idque ſignis rarioribus & magis illuſtribus denunciet, ut ad meliorem mentem redeant pænitentiæ capaces & paratam pœnam effugiant: Verbo: Ethicè hæc à me diſputantur, nec in iis ἀκρίβεια Phyſica vel logica quærenda. Secundùm hanc Tua, quæ diſputas doctè, veritati conveniunt. Illa autem ratione à me dicta publicam ut utilitatem promovent, ita & laudem, ut ſpero, merebuntur. Sicut verò ego multum Tuæ cordatæ humanitati & facili benevolentiæ debeo, qui Platonem*, hominem, teſte Gellio, veritatis amiciſſimum, ejuſque omnibus exhibendæ promtiſſimum, imitaris, ita & Tu me Tua & Tui ſimilium veſtigia premere patieris. Vale.

* Noct. Att. l. 10. c. 22.

Hamburgo in Noricum die $\frac{19}{29}$*. Decemb.* 1666.

S. P. Vir Clariſſime & Doctiſſime.

PErfectò propemodum obſervationum de Cometis nuperis à multis Mathematicis Excellentiſſimis & Clariſſimis factarum ſyntagmate, tùm & ſecundo operis mei, quod noſti, tomo Hiſtoriam omnium Cometarum complexo, de ſignificatione Cometarum aliquid addendum eſſe, æquum & utile judicavi. Hinc provocatus ad hoc argumentum tractandum humaniſſimis Franciſci Cuperi, Amici Amſterodamenſis literis, id hac, ut vides, ratione peregi. Iſtas aliquot epiſtolas noſtras Amico optimæ notæ in Marchia degenti, expendendas miſi. Ejus judicium meumque reſponſum geminum poſtea videbis. Interim hæc Tuo terſo & conſummato judicio ſubmitto. Rogo autem ut libertate utaris Philoſophicâ, quæ & mihi grata erit, & veritati illuſtrandæ conveniet. Vale.

Ex Norico Hamburgum die 12. *Januarii* 1667.

S. P. Nobiliſſime Lubienietzki *Domine plur. honor.*

LEgi ſanè avidiſſimè quæ de Cometis ultro citroque ſcripta tranſmiſiſti; factum autem inde eſt ut dubium dubio auxeris. Quod ſi non gravaberis audire, quæ opponenti, qualem nunc fingam, diſplicebunt, quæ non probabuntur, apertè ad Te omnia ſcribam.

I. Cometas interdum è ſupernis apparere & conſpici ſenſus oculorum indubiè oſtendit.

II. Illi, an eo tempore, quo apparent, primum eſſe incipiant per novam ſpecialem erectionem, id eſt ex nulla præexiſtente materia, à DEO factam; an vero per ſpecialem diſpoſitionem materiæ jam quondam productæ (quam Peripatetici primam vocant) ad novam hanc magnitudinem, figuram, ſitum, motum & quietem recipiendam, Vos quidem in diſputationem trahere non opus eſſe arbitramini, cùm id ad eam, quæ propoſita eſt de ſignificatione Cometarum, quæſtionem, nihil, aut parum facere judicetis. Ego verò ex Cometarum aut certo conſtituta origine, aut dubia adhuc inter eruditos, multum lucis petendum eſſe duco, aut ad expediendum, quod agitatur, negotium, aut in dubio prorſus relinquendum, ita ut nec ſecundùm Te, nec ſecundùm adverſarium illum tuum lis tutò dari poſſit. Tertiam enim ſententiam qui amplectetur, & Cometas nec noviter à DEO creari, nec noviter à DEO generatione produci aſſeret: ſed inter opera æterna naturæ numerabit, aut ordini ſtellarum adſcribet, quæ in prima creatione conditæ ſunt, ille nec bonorum bonis, nec malorum malis omina habendos eſſe Cometas reſpondebit.

III. Quæ ſententia, quia nec abſurda eſt, nec impia, &, ſi non majori probabilitate

babilitate nititur, quam utraque prior: at certè nec minori defendi poſſe videtur, quid ad præſignificationem Cometis tributam ſive bonorum bonis, ſive malorum malis, faciat, paulò poſt aperietur.

IV. Id ſaltem hîc dici poteſt, quæ ab utraque parte de directione DEI apparentium, vel noviter creatorum, vel noviter generatorum Cometarum adducuntur, parum ad præſens facere. Nam ſi per directionem DEI intelligatur generalis illa gubernatio, quâ omnia in univerſum DEUM moderari dicimus, ſupera, infera, nemo præter Epicurum qui providentiam DEI ſuſtulit, id quidem inficias ibit; ad præſignificationem autem aut bonorum bonis, aut malorum malis, quod Tibi placere video, aut malorum ſaltim malis, quòd alteri arridet, illa Cometæ generaliter à DEO directi apparitio non plus facit quam omnia alia DEI opera in cælo, in terra, in mari &c. etſi aliqua rarius, aliqua frequentius appareant.

V. Specialem ergo directionem DEI à Vobis hîc intelligi arbitror, ſive ejuſmodi ejus actum, quô, novo quodam & inſolito modo, ejuſmodi phœnomenon hoc aut illo tempore ſive creando, ſive generando producit, ad hunc peculiarem finem, ut hoc tempore, & loco, homines pii illud videndo colligant, DEUM hoc ſigno velle, ut officii ſui admoniti nihil ab eo viſo ſibi timeant, etſi magnoperè timendum ſit impiis, quibus etiam DEUS ſpeciali ratione eodem minetur vel famem, vel peſtem, vel annonæ caritatem & ſimilia.

VI. Jam verò niſi fallor, caput quæſtionis inter vos conſtitutum, rectæ prorſus aſſecutus ſum, idque me largiri interim videbitis generali illa DEI Cometarum, undecunque tandem ortorum directione, finem aliquem ab eo intendi, atque adeo æquè Tecum à Democriti, aliorumque, caſu res humanas ferri ſentientium, ſententia longè abeſſe.

VII. Quia & illud amplector, ſi quidem Cometam ſignum eſſe conſtat, notam eum eſſe alicujus ſignati, & à ſapiente Numine etiam alicui datum qui ex eo ſigno aliquid judicare vel poſſit, vel debeat. Signum enim alicujus ſignati eſt, ut relatum ſui correlati relatum eſt.

VIII. Tandem igitur ad ſignatum omnis diſputatio apertius devolvitur; ſive cum aliquid ſignificare Cometas ab omni parte affirmetur, quinam illi ſint, quibus aliquid ſignificent; deinde quid illud ſit, ad quod ſignificandum Cometæ à DEO conſpiciendi præbeantur?

IX. Primum verò Tu ad omnes omnino homines pertinere diſputas in litteris die 19. Julii anni proximè elapſi in Hollandiam datis, deinde in ſpecie nominas bonos & malos, & illis quidem bona, quæ in iiſdem illis litteris enumeras, prolem, victoriam, vitam, pacem, rerum incrementa & alia ſimilia; his verò mala prænunciari aſſeris, qualia fames, peſtis, bella, annonæ caritas ſunt. Aperte autem in iiſdem litteris fungi eos ſcribis loco Concionatoris ſive præconis cæleſtis & fidelis Conſiliarii, qui omnes officii ſui admoneant; bonos, puta, ut boni eſſe pergant: malos, ut mali eſſe deſinant, Autor vero Epiſtolæ p. 6. mala ſolum malis eos prædicere opinatur, atque adeò fungi loco Concionatoris, & præconis cæleſtis ſive fidelis Conſiliarii, qui omnes malos officii ſui admoneant ut mali eſſe ne perſeverent. Hæc enim ſi rectè judico, intenduntur.

X. Niſi, inquam, à mente veſtra aberro, undecunque tandem Cometæ oriantur, præter ordinem tamen, quaſi inſolitum quoddam corpus, & hactenus quoad eam numero ſubſtantiam, & hujus ipſius figuræ, magnitudinis, ſitus &c. ſive nondum creatum, ſive nondum generatum habetis, adeoque ſpeciali nova actione productum, atque novo ſui ſpectaculo ad ſpecialem aliquem finem, hoc ipſo tempore à DEO intentum, ſive indicandam ejus longanimitatem, quâ noviter quoſcunque officii ſui admoneat: ſive accelerandam ejus vindictam, ſi officii ſui admoneri ſe non patiantur.

XI. Niſi fallor Iridis inſtar Cometa Tibi eſt (præcipuè eâ ex parte, quâ bonis eum bonorum omen eſſe arbitraris) quam Iridem ſignum gratiæ divinæ hu-

mano generi datum eſſe S. Moſes teſtatur, quâ conſpectâ promiſſorum divino-
rum memor, ab ejuſmodi cataclyſmo nihil ſibi timendum eſſe judicet, quod
quidem conceptis verbis DEUS indicaverat Gen. XII. 13, 14.

XII. Atque hoc ipſum ſi conſimiliter in opere iſto tuo, ad quod Epiſtolæ
autor provocat, eviciſti de Cometa, confectum negotium eſt, & hæc, quæ
obverti fortè poſſent, jam everſa ſunt, ſin minus prævisa, quanquam vix cre-
dam à Te oculatiſſimo Viro non eſſe viſa, ut, quid reſponderi poſſit tertio,
qualem finxi, addi in ejus gratiam valde vellem.

XIII. Ergo à DEO Cometas conſpicendos dari cum conſtet: hoc ſpeciali
fine eoſdem ab eodem dari, ut hoc tempore, & loco, tanquam novi præco-
nes cæleſtes, & fideles conſiliarii, bona bonis, mala malis, aut ſaltem mala
malis prædicere juſſi ſint, UNDE CONSTAT?

XIV. Divinæ inquam, illius inſtitutionis, imperiique notitia unde ha-
betur? Nam neque ipſi Cometæ literis ſyllabiſque id inſcriptum eſt, ut tan-
quam ex libro legi poſſit præconem ſe novum DEI eſſe, cæleſtemque conſi-
liarium bona bonis, mala malis, aut malis ſaltem mala prænunciantem; neque
à neſcio quo Angelo Cometam dirigente; quòd ab Arriaga, Mœſtlino, aliis,
gratis ſcribi opponens dicet, aliquando de cælo clamatum eſſe. *DEI* autem
revelatione, qui mentem hanc ſuam patefecerit, (ſicut in iride factum eſt) *id*
innotuiſſe, tum credet, cum *unde*, vel *per quos*, vel *quando* hæc revelatio pro-
fecta ſit, indubiâ fide oſtenſum fuerit.

XV. Fallor, an Tu hanc revelationem è Jerem. cap. x. 2 deducis, & niſi
etiam hîc à Tua mente erro, his conſequentiis *Metuendos naturâ ſuâ omnibus*
hominibus Cometas eſſe, prophetam dicere, Tu ſupponis. Porrò verò *quia me-*
tuendi ſint omnibus, addere Prophetam, *non tamen ita metuendos eſſe bonis, quo-*
modo gentibus metuendi ſint. Id enim agere Jeremiam ut eo metu bonos omnes
liberet; *metuendos autem eſſe ut vindices divinitus miſſos omnibus malis*, qui orbitam
gentium premant infidelitate, improbitate vitæ &c.

XVI. Hæc ſi tua eſt ſententia, ut omnino mihi videtur, accipe quæ à Ter-
tio opponi poſſunt.

XVII. Illud verò, quod, ut certum, jam à Te ſupponitur, Cometas
metuendos eſſe Prophetam dicere, negabit. Sive enim ſic inſtituas ratiocinari:
Gentes metuunt ſigna cæli, inter quæ Tibi Cometa ponitur: Ergo metuenda ſunt;
habebit quod regerat: Gentes etiam metuere auguria, extiſpicia, quæ me-
tuenda tamen non ſint. Sive ita: *Metuendi non ſunt Cometæ ut gentes metuunt,*
metu ſcilicet idololatrico, ſive ut propterea eos colamus, ritu gentium. Ergo. *Me-*
tuendi ſunt alio fine, nempè ut vindices, aut ut præcones cæleſtes malorum
præcipuè malis. Petet enim conſequentiam ſibi probari ad conſimilem modum
argumentaturus: Mactandi non ſunt viatores ut gentes quædam mactant. Er-
go. Mactandi ſunt alio fine. Diſparem collectionem ſi dixeris eſſe, eo quod ma-
ctandi homines prorſus non ſint: metuendi autem Cometæ ſint, poſtulabit
Te adverſarius petitionis principii.

XVIII. Et ne ludatur in voce *metus*, addet: non abſolutè hoc ab omni
parte quæri, *annon à phænomenis cæli*, inter quæ Cometæ recenſentur, *ullâ ali-*
quâ ratione aliquid timendum eſſe poſſit terrigenis? Id enim è Syracide cap. XXXIX.
conſtat, armari à DEO, ut domino hujus univerſi, in homines omnes crea-
turas poſſe; quin Judic. v. 20. de ſtellis contra Siſſeram dimicantibus legitur,
per quas, quanquam incongruè, Cometas intelligere quoſdam non neſcio;
neque verò quidquam ſive ſoliti, ſive inſoliti ſive in cælo, ſive in terra, ſive
in mari &c. oſtendi poterit, quod in exitium mortalium verti non poſſit ab
irato Numine? & quo quid rarius, quo aſpectu tetrius, hoc facilius vel ex
ſolo intuitu, vel clamore, vel motu &c. nocturno præcipuè tempore formidi-
nem piis æquè ac impiis injicere poteſt. De hoc verò metu, qui naturalis dici
meretur, hîc non diſceptari opponens aſſeret. Totum enim penè mundum tot

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

præconibus Cæleſtibus, terreſtribus, marinis, nocturnis, diurnis plenum futurum eſſe, ut, de Cometis id affirmare ſeorſim, opus neutiquam ſit.

XIX. An autem ad incutiendum peculiarem metum peculiarium malorum, utpotè famis, peſtis, belli, obitus principum, annonæ caritatis &c. brevi etiam ſecuturorum, niſi officii majorem rationem homines, quibus apparent Cometæ, habuerint, à DEO hoc aut illo tempore dati ſint, id in quæſtione eſſe dicet.

XX. Quod ſi enim *naturale phænomenon* eſt, quod à Te in litteris I. Junii in Hollandiam exaratis admittitur, ut cætera ſileam, præternaturale officium quaſi cælitus prophetandi, aut comminandi, cur in re naturali quæramus, niſi in omnibus naturalibus, & hoc aut illo tempore locoque rarius præcipuè viſis, idem licere ſtatuere neceſſe ſit; aut, ſi omnino ad hoc officium à DEO ſive recens creati, ſive generati, ſive ab initio creati, hactenus latentes, nunc conſpicui facti ſunt, id utique à liberrima ejus voluntate fieri fatendum erit: Liberrimam autem illam voluntatem ejus, nemo niſi cui ille aperuerit, cognoſcere poſſit, poſcet opponens teſtimonium hujus divinæ voluntatis, idque ſic ſatis confirmatum, ut ſolâ ſuſpicione, aut religione alterius (quâ facilè credens facilè quoque decipi poſſit) ſibi non imponi certo ſciat. Cæteroquin enim vel abduci homines religionis Scripturarumque Sacrarum prætextu ad ſuperſtitionem; vel ubi rudior plebs deprehendet, gratis hæc extraque Scripturas dici declamarique ad populum terriculamenta inania, facilè ad omnis ſacræ religionis contemtum duci poſſe, judicaturamque non aliter ſe hiſce ſcriptis dictiſque deludi, quàm olim Africani, quibus viſâ primum eclipſi lunari, preſſi fame Hiſpani, palpum obtruſerint; aut, ſi qui Scripturarum tenaciores futuri ſint, illùd CHRISTI Domini objectabunt: Habent Moſen & Prophetas, neque additum eſſe; ET COMETAS; præterea quid facto opus ſit, & quid Dominus ab uno quoque repoſcat, homini jam dictum eſſe Micheæ cap VI. 8.

XXI. Ad exempla omnium Cometarum Te provocare Autor Epiſtolæ primæ ab Amico Hollando ſcriptæ dicit. Omniumne vero? Id magnæ molis erit oſtendere. Et recte ab Epiſtolæ Auctore monitum dicet opponens Hollandus in prima illa epiſtola, *bona & mala nullo apparente Cometa itidem obveniſſe. Dein infra addit: non ſufficit oſtendere bona & mala eorum apparitionem fuiſſe ſecuta ſed eos bona portendiſſe, & id quidem bonis*; adde, ſpeciali juſſu & imperio ad hoc officium noviter deſtinatos à ſummo Numine. Quæſiverit ex Te opponens, quibus Mithridatem accenſeas, quo regnante ſtella Cometes 70. diebus luxerit, futuram ei magnitudinem indicans. Juſtino interprete, non I. ſed XXXVII. c. 2. Bonum ne dicas Mithridatem an malum? ſi malum, cur malo bonum prænunciat cum Tu bonis bona, mala malis concionari illum præconem velis. Si bonum, gentilis Tibi bonus erit, alienus à DEO, dignus cui DEUS peculiarem vatem de Cælo mittat. Creſcit ut video Epiſtola ſub manibus; cætera igitur quæ addi per tempus non poſſunt, Tu pro judicii tui acumine facile cernes: Vale.

Hamburgo in Noricum d. XXVI. *Jan.* CIↃ IↃC LXVII.

EQuidem pergratam rem mihi feciſti quod ſub Tertii Opponentis nomine, tot gravia dubia de Cometarum ſignificatione moveris. Video autem, Te ex iis paucis, quæ nuper ad Te miſi, Tuoque ſubacto judicio ſubmiſi, nondum plane ſententiam meam, quam objectionibus Amicorum invitatus, illuſtrare magis magiſque conor, percepiſſe. Inveni Virum quendam egregiè doctum, cui illa, quæ & Tibi dijudicanda tradidi, nec non Tua (ad quæ en ab eo adnotata) tum & hocce reſponſum meum, in quo brevior ero. Quæ enim dicenda hìc forent, in iis quæ de hoc argumento inter me & Amicum Amſterodamenſem concluſa & cum Marchiaco diſputata ſunt, & ad Te nunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

mittuntur, intelliges. Tu interim hæc mea pauca boni & æqui conſule.

Ad §. II. Dixi ego & urſi, ut aliàs in opere meo, ita & in Epiſtolis ad Opponentem primum & ſecundum (ita Amicum Amſterodamenſem & Marchiacum appellare liceat) Cometas, ſi ſint cæleſtes & perpetui, vulgatam triſtium ſignificationem Phyſicam corruere.

Ad §. IV. Cometas inter opera Dei, ut rariora & quodammodo extraordinaria, conſidero.

Ad §. V. & VI. Hoc ex ratione juſtitiæ Dei monentis, minantis, ſalutem noſtram curantis, perditioni occurrentis colligi poteſt.

Ad §. VII. & VIII. Cometa mihi non eſt ſignum Phyſicum, ſed Ethicum, artificiale, memoriale, doctrinale, bonos & malos reſpiciens.

Ad §. X. In re tàm ardua de generatione Cometarum, nil determinari poteſt. Significationem neceſſariam, eamque triſtium tantùm, evertit certè illa tot veterum & recentiorum Philoſophorum ſententia eſſe eos ſidera perpetua affirmans. Veteres in adjunctis nominavi. Recentiores noſti: Cardanum, Oddum, Carteſium, Frangipanium, Columbum, Raymundum, Valleſium, Dicetum, Eckium, Fienum, magni ſane nominis philoſophos, ex Ricciolio & Fromondo. Et ille quidem ad quinque argumenta quæ pro hac ſententia adferuntur, reſpondet, ſed nec alios rationes deficiunt. Qua de re ego argumenta Tua exſpecto.

Ad XI. & XII. De comparatione Iridis cum Cometa & diſcrimine utriuſque ſigni in adjunctis multa leges: quibus, & Tertio Opponenti, quem fingis, ſatiſfactum iri, credo.

Ad XIII. & XIV. Cunctis Dei operibus & phœnomenis homines officii admoneri conſtat ex lege, Prophetis & Euangelio. Cometis ſpeciatim id applicatur ex phœnomeνων, eorumque rarius apparentium, magis illuſtrium & diutius durantium ratione: Cometa verò à me per Proſopopæjam Ethicam introducitur.

Ad XV. XVII. XVIII. XIX. Cometam non naturâ ſuâ (eſt enim ſidus illuſtre, viſu jucundum) ſed tot triſtium eventum ſolemni experientiâ metuendum, nec à piis, ſicut nec ullum ſignum cæleſte, velut dominans, multo minus ſæviens & maleficum, ritu idololatrico colendum vel metuendum ex mente divini vatis Jeremiæ: ex mente verò Moralis diſciplinæ Cometam, ut fidelem Conſiliarium & Præconem, reliquis phœnomenis, fulgore, motu, duratione præſtantem, hominibus bona & mala, ſui apparitionem ſequi ſolita, in memoriam revocantem, audiendum eſſe ſentio.

Ad XX. Naturale phœnomenon eſt Cometa, at non ſignum naturale: imò ſupernaturale, artificiale arbitrarium, memoriale. Audiendi ſunt cæli; eorum ordines, motus audiendæ ſtella fixæ, errantes, crinitæ, caudatæ, audienda cuncta Dei opera Creatoris virtutes celebrantia. Sunto ex mente Ethices inſtar novorum Concionatorum eclipſes ſolis vel lunæ. Atqui Cometis plus vulgò tribuitur, quàm reliquis phœnomenis. Et ſola quidem mala ei adſcribuntur. Itaque rem ad equitatem reduco. Adhæc Cometæ multis ut dixi, nominibus reliqua phœnomena ſuperant. Deus nil niſi liberè agit, juſtè tamen & ſapientèr. Deus voluntatem ſuam, ut homines opera ejus & ſigna cæli contemplando, dona fruendo, in officiis pietatis erudiantur, aperuit in libro gratiæ & naturæ, qui uterque nos ex viſis, lectis, auditis officii admonent. Cometas quidam vocare ſolent novos Prophetas. Liceat hoc morum commendandorum gratiâ (cui ſtudio undique parat occaſiones & præſidia. Vir bonus, ubique certamina ſcelerum videns) dicere. Sed addendum, mutos eſſe Prophetas, qui ſui apparitione bonis bona, malis mala nunciare, id eſt contraria ſimul ſola apparitione docere poſſint; quod vocales Prophetas & Doctores ſimul iiſdemque verbis facere nequeant.

Ad XXI. Omnium Cometarum exemplis probo, non tantùm mala ſed & bona

bona eorum apparitionem eſſe ſecuta, atque ſic eos bona bonis, mala malis, his & illis in orbe viventibus, & in certas, ut ſic dicam, claſſes diſtinctis portendiſſe. Deo rationes in diſpenſandis bonis ſuis ſemper conſtant, nobis ſæpius ignotæ. Velim hîc benè conſideres, quid de gentibus ductum naturæ, ut à Deo datæ, ita Deo grata ſuadentis, ad id quod juſtum, rectum, honeſtum eſt ſequentibus, Petrus Act. x. & Paulus Rom. xi. doceat. Mithridates ſanè fuit præclarus & ſapiens Rex. Sed fuerit malus. Potuit bonus eſſe in comparatione ad Romanos, quos tunc pejores per eum plecti Deus voluerit, ſicuti tandem eum per Romanos fregit. Adſenties mihi, ſi Te rectè novi, ſobriè & cautè hîc eſſe loquendum, dum ad abyſſum judiciorum Dei venimus, & tutius ſemper judicium in bonam partem inclinari, ac neminem damnatum iri ideò, quòd Virum bonum & juſtum in hoc vel illo cognitionis veri & recti gradu poſitum, damnare non audeat, ſed potiùs docente ipſo Domino, omnem qui temerè damnârit. Exemplum Juſtini lætos Cometas natalibus & auſpiciis tanti Regis prælucentes deſcribentis, quod indicas, docet jam olim quibuſd. Cometas proſperorum nuncios habitos eſſe. Hæc nunc, inter varios labores, habeo dicere. Tu quâ es æquitate & prudentiâ non tantùm grato animo excipies meam libertatem, ſed & hic dicenda, ſaltim apud Te, ſupplebis. Unum dicendum reſtat. Clariſſimus Vir Henricus Oldenburgius, Inclutæ Regiæ Socieṫati Anglicæ à ſecretis, hoc menſe ineunte dedit ad me literas aliquot abhinc diebus mihi redditas, quibus me rogat, ut ei Philoſophos in diverſis Germaniæ locis, præcipuè Coloniæ, Francofurti, Lipſiæ & Auguſtæ Vindelicorum inveniam, qui cum eo & ſociis ejus literarum commercium colere velint. Si Tu id facere velis, vel alios qui id oneris ſubeant nôris, mihi indica. Deſiderant autem quædam ſibi communicari in Mechanicis, Anatomicis, Opticis, Aſtronomicis, Phyſicis, Chymicis & ſimilibus, ac ſe par pari reddituros pollicentur. Vale ac mihi conſtanter fave.

Ex Norico Hamburgum die XVII. *Febr.* M DC LXVII.

ACcepi ſingula à Te miſſa quæ majorem nunc lucem diſceptationi noſtræ affulſêre, quâ carebam cum priores meas miſiſſem. De toto enim negotio præter illas pagellas ne literam legeram: Et quando, quod video, in eo mihi accedis, & Tu, Vir Nobiliſſime & cui Tu mea legenda dediſti *ad præſignificationem bonorum malorumque illam Cometæ generaliter à Deo directi apparitionem non plus facere* (ex intentione etiam divina) *quàm omnia alia Dei opera in cælo in terra in mari.* Compendium jam literarum ea quidem in re fieri poſſet, cum utrinque ita conveniat; at neque hoc tamen ægrè feres, qua bonitate es, ſi nunc quod cætera attinet, meus opponens aliquid ſuperaddiderit.

Obviam à Te itum eſſe legit vanis vulgarium Aſtrologorum terroribus, quos exorto Cometâ credulis hominum mentibus injicere ſtudeant; exſpectandum nempe aliud nunc nihil eſſe præter peſtem, famem, ſterilitatem, obitus Principum, & quæ non? Hîc Tu cum nugas vendi aſſeris, rectè id quidem; at ut horum prædictionis vanitatem deſtrueres, non opus eſſe dicet opponens oſtendere 1. etiam bona ſecuta eſſe Cometarum fulgores, multò verò minus operoſè id agere 2. ut eorum bonorum ſigna fuiſſe ſtatuatur, & denique 3. talium bonorum ſigna nonniſi bonis, ſive eadem Phyſica, ſive moralia, artificialia, doctrinalia vocentur. Primum enim illud ſatis fuiſſet ad eorum ſententiam evertendam, ſi urgerentur probandi hoc onere, non niſi mala ad Cometarum conſpectus ſubſecuta eſſe. Deinde ſi vel maximè, ex abundanti experientia & hiſtoriarum fide oſtendatur, bona etiam ad Cometarum ortus eveniſſe neutiquam tamen opus eſſe addet, horum bonorum evenientium Cometas ſigna ſtatuere, qualiacunque etiam vocare libeat, cum an ad hoc ſignificandum dati ſint, novis probationibus & argumentis confirmandi labor ſumendus ſit, quo ſuperſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

dere poſſis: ut & 3. eo, ut bonis tantùm ea indicia bonorum ſint, cum Tu nec plus oſtendere poſſis quàm generalia ſaltem τεκμήρια dici poſſe, qualia ſingula Dei opera maxima, minima, medioxima, ſolita, inſolita, rara, frequentia, etſi aliqua animos in majorem admirationem rapiant aliqua minus, ultrà quod niſi Tu aſſurges, & ſpeciali voluntate Dei, ſpecialia bonorum præſagia bonis Cometas haberi voles, parum cauſæ ſuæ detractum Aſtrologi dicent. Hi enim cum indifferenter & ex æquo omnibus, his quidem, quorum regiones penetrant Cometæ, probis, improbis malorum ſubſecuturorum indices faciunt (etſi illis in bonum, his in malum cedere non negent) ſpeciali illud omne voluntate Dei fieri ſupponunt, qui tam maleficam eis phœnomenis vim indiderit, qualem cæteris non indiderit. Et in eo quidem etſi eoſdem falli & fallere juxta Tecum fateatur meus opponens, neque Te tamen ſatis eos conviciſſe regeret, niſi pariter non generali, ſed ſpeciali voluntate Dei bona bonis Cometas vaticinari probandum Tibi ſumpſeris. Tam hoſpes enim inter Chriſtianos, certè aſtrologes nemo eſt, quin ex quolibet opere Dei aperiri ſibi campum faſſus fuerit cogitandi de immenſa virtute atque infinita potentia Dei, de ejuſdem in pios clementia, in peccata verò ſeveritate, &c. ut pulchrè rhetoricatur illa miſſarum theſium diſcuſſio.

Ut igitur ſpeciali voluntate Dei hoc opus, Cometam mali præſagum eſſe is quidem Aſtrologus oſtenſurum ſe præ ſe fert, ita ut Tu quoque boni prænuntium bonis ſpeciali Dei voluntate Cometam probes, à Te requiret, ad quod probandum illa *ex ratione juſtitiæ DEI monentis*, *ſalutem noſtram curantis*, *perditioni occurrentis &c.* deſumta argumenta nondum ſufficiunt.

Nec profectò alia mens eis ſedet, qui ad intuitum Cometæ ſtupent & in admirationem ejus rapiuntur, quando non tam, ut Amico Tuo videtur, *quid hoc ſignificet*, *quid hoc ſibi velit*, ſciſcitari incipiunt quàm, quid hoc *ſpecialiter* ſignificet, quid hoc *ſpecialiter* ſibi velit, quid hoc *penitus novi* portendat præter ea, quæ Deus in genere ex operibus ſuis conſideranda propoſuit. Quotquot etiam titulum illum Bona bonis, Mala malis Cometas deſignare, legunt, quibuſve eum indicavi, hi ſanè aliud non colligunt, quàm, ſpeciali voluntate Dei id fieri, à Te doceri. Nam generali illâ intentione,

& levis eſt ceſpes qui probat eſſe Deum:

Quidni tantæ magnitudinis, ſplendoris, motûs durationis &c. cæleſte corpus, aut quæ hæc quærenti. Quid hoc ſibi vult? Quid ſignificat Cometa? Singularis reſponſio: Significat, quòd omnia opera Dei, præcipuè rariora viſu ſignificant; nempe Dei potentiam, majeſtatem, omniſcientiam, bonitatem, bonis benè, malis malè cupientem. Hoc enim ſibi, quiſque indoctiſſimorum etiam Chriſtianorum, ipſi reſpondere novit citrà magiſtri alicujus operam. Pro dignitate igitur operis, in quo tua ſe induſtria exercuit, tàm commune reſponſum eſſe non videtur, utut cætera piam illam meditationem meus opponens probet, *in emolumentum publico*, *magiſque mortalib.* profuturam: attamen nec ſatiſfacturam ſolicitudini, quæ planè mentes occupavit, ut exuere eam opinionem vix poſſint, ſpeciale aliquod malum præſignificari, quod quale futurum ſit, id ab aliis ſcire volunt, in qua ſuperſtitione cùm firmari videbam eaſdem, declamationibus etiam variis ad populum, nihil horum certò metuendum aſſerui, cum de ea Dei voluntate Scripturæ nihil pandant; deinde verò nec conſolationis plus additu-ram, quam quælibet alia Dei opera, ex quibus qui boni ſunt, optima quæque ſibi polliceri poſſunt, tanquam filii ex quibuſlibet à Patre ſuo datis, ut ut rarò viſis, ut ut adſpectu formidandis, ut ut denique ſeſe habeant. Sed abrumpo, nec plura de his addo, quæ præſertim lucem adſpiciant. Vale, & me, ut facis, ama.

Hamburg.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

Hamburgo in Noricum d. XVII. *Martii* CIↃ IↃC LXVII.

GRatulor mihi, eſſe Tibi à mea parte hactenus ſatiſfactum, ad præſignificationem bonorum malorumque non plus Cometæ apparitionem, ex intentione quoque divina, quam omnia alia Dei opera in cælo, in terra; in mari facere: ſi ſcil. ἀκειβῶς & ratione ſignificationis determinatæ, qualis vulgò Cometis tribuitur, habitâ, loqui velimus. Ego tamen puto me non immeritò morum commendandorum & officiorum, oblivioni magni ex parte traditorum in memoriam revocandorum cauſa, Cometam ſignum; præconem, Concionatorem & conſiliarium impropriè bona bonis, mala malis (præſtat idem S. Scriptura conſiliario comparata) ſicut his & illis in orbe exstituris, ita utraque certò ex divina ordinatione ſecutura, denunciantem in theatrum produxiſſe. Videbar autem mihi meritò me lætorum ſignificationem illis opponere, qui ſola triſtia Cometis imputant. Adhæc occaſionem ſumſi componendæ hiſtoriæ monitis Politicis & Ethicis, aliiſque utriuſque philoſophiæ particulis refertæ. Hîc primum ſpero me Tuo Opponenti ſatiſfacturum eſſe: tùm & illic ſigna me oſtendere impropriè & ex mente Ethices dicta: tum etiam docere me bona ſemper evenire bonis, cum & mala eis vertant in bonum, mala contra malis, cum & bona abuſu vertant eis in malum. Tàm triſtium quàm lætorum exempla, & quæ huc pertinent, per prolepſin à me allata, licet Cometomantes, qui dicuntur, ſolo probandi onere urgere, ut prudenter, judicas, potuiſſem. Porrò non puto operoſè mihi probandum eſſe Cometam bonitatis morum comendandæ gratiâ ſignum impropriè dictum & Ethicum in theatrum produci à me potuiſſe. Conſtat enim omnia in hunc finem, ut ſignificent ac prædicent Dei infinitam potentiam, bonitatem aliaſque ejus virtutes & hominis debitam obedientiam, à Deo dari: tantò vero magis hæc rariora & magis illuſtria phœnomena, quibus communiter cuncta mala adſcribuntur.

Aſtrologi enumeratione eventuum felicium Cometas ſequentium ſatis refelluntur. Nam ſi eis triſtes ideò meritò imputare ſe credant, quòd eos ſequuntur, pari jure lætos eis imputandos eſſe concedant, oportet. Quòd ſi generali divinâ voluntate Cometas aliquid ſignificare concedant, (quòd certè nemo puto niſi qui & providentiam negaverit) per eoſd. non tantùm mala malis, ſed & bona bonis à Deo tàm illa minante, quam hæc promittente, & ſemper, ubique ac per omnia homines officii admonente, denunciari fateantur neceſſe eſt. Integra enim providentia & juſtitia Dei hoc ut credamus, poſtulat. Idcirco divina oracula nobis & bonitatem & ſeveritatem, miſericordiam & judicium Dei ſimul ob oculos ponunt. Tu vis ſpeciali Dei voluntate id fieri. Hoc etiam verum eſt. Nam qui cuncta, idem & ſingula voluntate, diſpoſitione liberâ, ſapientiâ & juſtitiâ ſuâ curat: dirigit. Sed cum & nil fruſtra faciat, velit autem ac intendat bonum (quale certè eſt omnibus ſtatutis & operibus ſuis bonos & malos officii admonere) hanc juſtitiam & φιλανθρωπίαν Cometarum exhibitione teſtari ab Ethico dicendus eſt. Adhæc Cometæ ſunt ſpecialia phœnomena, quæ cæteris longe multis partibus præſtant. Quod ſi tamen Cometomantes non alitèr quàm ex conſequenti Cometas mala ſpeciali Dei voluntate nuntiare contendant, idem juris mihi, præſertim impropriam ſignificationem urgenti, parant, ut eadem voluntate bona ſecutura nunciari bonis (cuncta enim à Deo bonis & malis dantur) colligam. Et ſi ex quolibet opere Dei virtutes tanti Artificis & Rectori contemplandi occaſio & incitamentum ſumi poteſt, multò magis ex rariori & illuſtriori ac maxime diuturno inter temporaria phœnomena phœnomeno, & cui conſenſus gentium tot mala imputat. Ideò per me licet, urgeat Tuus opponens ſpeciali Dei voluntate per Cometas bona bonis, mala malis nunciari. Probare id nititur Doctiſſimus Vendelinus, ut noſti ex Habac. 3. Joannes Sculerus in erudita de Cometis Diſquiſitione, Cometas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

metas ad oſtenta, prodigia, & ſigna in SS. LL. refert. Atqui hæc bona bonis, mala malis ferunt. Ideò is ipſe Auctor lectu digniſſimus & Toloſſani dictum, *Cometam aut magnum bonum aut magnum malum afferre mortalibus* ex Keckermano adfert, & *bona quoque Cometis portendi, quatenus corruptio unius eſt generatio alterius*, fatetur. Notum præterea eſt ex Porphyrio, Cardano aliiſque Aſtrologiæ judiciariæ deditis, Lunares Cometas in occaſu bonorum eſſe præ nuncios, tum & eos, qui caudam dirigant in occaſum, temperatam & optimam anni conſtitutionem illo veluti gnomone, indicare. Ita Cometæ in occidente apparentes, caudam verò in ortum projicientes: tùm in Oriente lucentes, caudam in occidentem dirigentes (id enim ſitûs Cometici ratio poſtulat) læta & bona ſignificant, ex illorum ipſorum, qui ad Cometas cuncta mala quæ in orbe, longo etiam poſt Cometas tempore perpetuò eveniunt, referre ſolent, ſententia. Ita etiam magna Cometalis, ut ſic dicam, familiæ pars, quæ Orientem & Occidentem ſolem adſpicit, ipſa adverſariorum ſuorum confeſſione, de vindicatis ſibi lætis omnibus jure meritoque gratulatur. Sed manum tandem de tabula, tantò magis, quòd adjungam ſententiæ meæ rationes Num. xxx. quibus illa velut fundamento firmo & ſolido, inititur. Exſpectabo cum deſiderio reſponſum Tuum ad hæc omnia, ut coronidem huic rei tàm perplexæ, quàm tædioſæ imponas, in qua diſcutienda moleſtus Tibi amplius non ero, poſtquam ſtudio indagandæ & illuſtrandæ veritatis ſatiſfactum eſt. Vale Vir Doctiſſime, ad poſtulatum Anglorum (cui nunc addunt, ut habeant indiculum librorum Philoſophicorum novitèr editorum) verbo reſponde ac me conſtanti benevolentiâ proſequere. Dabam moleſtis quibuſdam occupationibus, quæ reſponſi officium tam diu diſtulerunt, expeditis, d. & anno ut ſupra.

P. S. Adjungo hiſce duorum virorum, eruditione & pietate præſtantiſſimorum, eorumque Amicorum communium, Amſterodami nunc agentium, judicia de ſignificatione Cometarum inter me & Amicum Marchiacum agitata.

1. Quantum ex paucis, quæ ad me, Vir Generoſe, miſiſti, percipio, non magna eſt inter Te & ſecundum Opponentem differentia. Nam cum ille dicit, ſignum gratiæ non eſſe ſignum iræ, & contra, tunc intelligit directè ac per ſe fieri id non poſſe: Tu verò quando affirmas contrarium, ſufficit Tibi, ut ſignum gratiæ ſit per accidens etiam & indirectè ſignum iræ, & vice verſa. Hac diſtinctione adhibita, exiſtimo utrumque conſiſtere poſſe.

2. Secundo Opponenti hoc abitror, ſatiſfacere poſſe, cum ita mentem tuam declaras, ſignificationem Cometarum ancipitem in bonum & malum, à Te expreſſam, non eſſe accipiendum propriè. Sed impropriè, cumque fateris in Tuis ad illum litteris hæc à Te non dici κατ' ἀκρίβειαν. Etiam citra Cometas & ejuſmodi ſigna alia omnia bonis ſunt boni ominis & bonæ ſignificationis, malis contrà.

Ex Norico Hamburgum die 9. April. 1667.

Nobiliſſime Vir, Fautor Honoratiſſime.

VIdi theſes tuas, quas ea quidem expoſitione, quam tradis, non puto improbatum iri à quoquam, qui ex quavis occaſione morum ſanctimoniam commendandam & inculcandam probat, Cometaſque non temnendos cum impiis, nec timendos cum ſuperſtitioſis, nec deſpiciendos, nec ſuſpiciendos: ſed ut incitamenta pietatis contemplanda eſſe cogitabit: quare quod fulnem alicujus contentionis porrò trahamus, operæ amplius pretium rectè nullum fuerit. Ego, quod ea in re agere aliquantum mecum volueris, gratiam Tibi habeo: ut benè omnia interpreteris quæ ſcripſi amicè rogo. Vale.

FUNDA-

FUNDAMENTA

Sententiæ contra determinatam Aſtrorum efficientiam & pro indifferenti ac æqua bonis maliſque Cometarum ſignificatione morali diſputantis.

I. Aſtrologicas quidem prædictiones determinatas aſſidua refutat experientia, juvat tamen ex occaſione Cometarum, quibus illi plurimum tribuunt, plures rationes in hanc rem adferre.

II. Omnes divinationes in genere, & prædictiones ex aſtris in ſpecie, damnantur abſolutè in Script. S. Levit. XIX. 27. Deut. XVIII. 10, 11. Eſa. XIX. 12. XLIV. 25. XLVII. 9, 12, 13. Itaque ſine periculo ſaltim talia curioſa tractari non poſſunt.

III. Si hæc damnantur in Chaldæis & Ægyptiis, tantominus ferenda ſunt in Chriſtianis, quos ad omnem ſanctitatis perfectionem adſpirare decet, niſi admodum ſobriè illa tractentur, ignis inſtar.

IV. Providentiæ divinæ, omnia liberè regenti, ſidera quoque & humana cuncta pro arbitrio juſtè temperanti, per fatum Aſtrologicum detrahitur.

V. Per ſiderum efficientiam fatalem, vel tollitur vel læditur libertas hominis.

VI. Ex multorum ſententia ſidera lucent tantum, non agunt, ſaltim non eô modô, quô communiter agere putantur in terrena, utpote immane quantum remota. Sol ſolus agit, tùm demùm Luna, ſed hæc mutuatitio lumine: quanquam nec aliud omnibus ſtellis quidam tribuant, & hôc ſolô Planetas (quos ſolos Aſtrologi crepare ſolent, niſi quòd & ſitus eorum ad fixas rationem etiam aliquam habeant) gaudere certum videatur. Vid. Kepler. l. 6. epit. Aſtron. Copern. Weigel. Comm. de Cometis 1664 & 1665. c. VI. VII. & ſeqq. & Clariſſimus Bullialdus l. 1. Aſtronom. Philol. c. X. XI. & ſeqq. Ubi quidem Vir Doctiſſimus probare nititur Planetas proprium quoque & ingenitum lumen, præter illud adventitium habere, imbecillius tamen eſſe, ad oculos non facilè perveni-re & efficaciter pupillam non ferire fatetur. Et, ut nil dicam de ſententia Kepleri, Magni profectò Mathematici, imò inter maximos meritò ponendi, & aliorum qui Planetas ullum lumen congenitum obtinere negant, & illos diverſos planetarum à Sole, ſecundum certos proportionum gradus illuminatorum, colores diverſæ conſtitutioni illorum corporum, tùm & diverſo ſitui tribuunt, ac res luce propria carentes ſi à Sole illuminentur diverſos colores exhibentes in exemplum adferunt, ex ipſa Viri Doctiſſimi confeſſione, Planetas dominatum in terras, multo minus in mentem hominis, non exercere, & Aſtrologicas prædictiones à Planetarum efficientia deductas corruere ſatis patet.

VII. Etſi operatio ſiderum in inferiora concedatur, tamen ſpecialis eorum virtus determinari & effectus certi ex ea prædici, ob varia impedimenta hujus rei explorationem turbantia nequeunt.

VIII. Servire non ſævire aſtris datum Gen. 1. nec quicquam in hiſtoria creationis de maligna vi eorum in inferiora influente legimus.

IX. Cometa propriè & ſtrictè loquendo non eſt ſignum, multominus naturale, (licet ſit naturale phœnomenon) & neceſſarium, ſed ſignum ſupernaturale, arbitrarium, memoriale, doctrinale, quod pro diverſitate hominum illud contemplantium & uſu vel abuſu donorum & operum Dei hujuſque ipſius Phœnomeni, bona vel mala Ethicè ſignificat & prænunciat.

X. Cometa ſi ſignum naturale foret, bona potius quàm mala ſignificaret, cum natura bonum intendat & illud efficiat, niſi impediatur. Impeditur vero hîc vitio hominum multorum (non tamen omnium) officii negligentium, bonis Dei abutentium: licet hæc bona in ſe ſemper maneant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

XI. Cometa, etſi ſit aëreus, non neceſſariò agit in aërem (in quo naturam ſine ulla Cometarum apparitione agere aſſiduo videmus) multominus in remotiora, quæ in terra ſunt, omnium miminè in liberam mentem hominis, quæ à ſolo DEO conditore pendet.

XII. Cometæ ſunt phœnomena illuſtria, lucida, jucunda viſu, rariora & præſtantiora cæteris phœnomenis temporariis, adeoque ſpecialia, ut ideò plura ad præviam eorum apparitionem non tantùm triſtia ſed & læta, Ethicè ſaltim, referri poſſint, tàm generali quàm etiam ſpeciali DEI voluntate, quam omnia ejus opera, edicta juſtitiam inculcantia docent, conſideratâ.

XIII. *Futurorum malorum ignoratio utilior quàm ſcientia.* Cic. 1. de div. ſaltim ſi utilis ſcientia malorum utilis & bonorum.

XIV. Cometas læta quoque & funeſta ſignificare quidam veteres Philoſophi & multi recentiores ſtatuunt, ut alibi probavimus.

XV. Pro vario cæli poſitu Cometas fauſtos Aſtrologi ipſi eſſe fatentur: Lunares enim in occaſu, & Joviales, omnia bona, eos verò qui caudam dirigant in occaſum, optimam anni conſtitutionem prænunciare dicunt. Ita & Orientales & Occidentales reſpectu caudæ Cometas lætos admittunt. Imo verò teſte Bertio initio Geograph. & meridionales Cometæ, iique matutinis oppoſiti, fauſti judicantur.

XVI. In variis cæli plagis conſpiciuntur, & modo in aëre, modo in æthere, ut multorum fert ſententia, generantur Cometæ. Ideo nil certi in ſpecie ex eorum apparitione colligi poteſt.

XVII. Nec illis, quibus verticales ſunt, nocent (quod illuſtri illius Cometæ anno 1618. viſi aliorumque exemplo probatur) nec illis in quos caudam dirigunt, nec etiam iſtis, qui ſubjecti ſunt illis ſignis quæ Cometæ percurrunt, quod itidem multa exempla teſtantur.

XVIII. Experientia ſæpius fallax eſt, non quidem in ſe, ſed exploratorum vitio vel obſervationum difficultate.

XIX. Annales Cometarum non raro diſcrepant, ita ut exinde nil certi depromi poſſit, cum tamen ex primo apparitionis tempore & duratione, Cometarum quoque effectus formentur.

XX. Sæpè Cometomantes & Cometarii qui vocantut ſibimet contradicunt, non tantùm de origine (de qua nil certi conſtat) ſed & de Situ; motu & effectis Cometarum.

XXI. Vix ad ad triennium perpetuorum ſiderum operationem extendunt Aſtrologi, ut ait Clariſſimus Bullialdus: Cometomantes verò ſæpius ad plures annos Cometarum effectus extendunt.

XXII. Ante Cometas triſtia, poſt hos læta, ſine illorum apparitione utraquè, eveniunt multa, ita ut nil certi in alterutram partem determinari queat.

XXIII. Cometæ cum vel omnes vel pleriquè in æthere generentur, tollitur efficientia, quæ eis, ut phænomenis aëreis, in vicina tribuitur.

XXIV. Cometas ſemper exiſtere, licet non ſemper appareant, multi veteres & recentiores Philoſophi docent. Quod ſi verum eſt, arguit eos inter portenta propriè dicta non eſſe reputandos.

XXV. Tutiſſimum eſt in tanto ſententiarum incerto & diſcrimine, mediam viam tenere, ut Cometas, aliave ſigna cæli, nec temnamus cum impiis, nec timeamus cum ſuperſtitioſis, nec deſpiciamus, nec ſuſpiciamus, ſed ut incitamenta virtutis contemplemur.

XXVI. Mihi ſufficit Cometam ad mentem Ethices & inſtitutionis quæ ſecundum pietatem eſt, quæ morum Sanctimoniam ex quavis occaſione commendat & inculcat, tanquam ſignum arbitrarium, & memoriale ob oculos bonis maliſquè, cum utriſque neceſſaria ſint talia monita & documenta undecunquè conquiſita, poſuiſſe, ſive læta, ſive triſtia ſive (quod potius verum eſt ut aſſidua docet experientia) læta hìc, triſtia illìc Cometæ apparitionem ſequantur:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

ſequantur: Ethici enim officium occaſione Cometæ defungi volo.

XXVII. Cum bonis omnia, etiam mala, in bonum cooperentur ut S. Scriptura docet, & malis, qui bonis DEI abutuntur, bona quoque cedant in malum, meritò dico Cometam bona bonis, etiam ſi triſtia & mala eis obtingant, mala verò malis, licet bona eis obveniant, ſignificare & denunciare. Sapiens arte induſtriâ, pius virtute conſtanti mala corrigit, & in bonum, DEO auxiliante, vertit. Inſipiens inertiâ ignavâ; Impius malitiâ temerariâ & pervicaci bona corrumpit, & in malum, DEO permittente, vertit. Tàm illi quàm huic officia in memoriam occaſione Cometarum, quibus plerique cuncta mala adſcribunt, & quos naturali rerum ſerie læta & triſtia ſequuntur, revoco.

XXVIII. Accuratè propriè & ſtrictè, loquendo, & reſpectu unius ſubjecti eodem modo ſe habentis, una res duo contraria ſignificare non poteſt. Sed citra ἀκρίβειαν Grammaticam & Logicam, Politici, Hiſtorici, ac Ethici, ſaltim Oratoris potius quàm Phyſici more, impropriè & latius accepta ſignificandi & portendendi voce, Cometa tanquam mutus Concionator vel Conſiliarius tàm bonis bona, quàm malis mala ſignificat & portendit. Nam & una res pro diverſitate ſubjecti in quod agit (ut Sol, Pluvia &c.) contraria non tantùm ſignificat, ſed & operatur ac efficit: ſi vel diverſo modo, ut quidam contendunt, id facere dicatur.

XXIX. Integra DEI æquitas & bonis bona & malis mala ſemper & ubiquè tàm explicitè quam implicitè (ut omne contrarium eſt index ſui & obliqui) denunciat. Hujus itaque voluntati pietatis amans accommodare ſe in vita & doctrina debet.

XXX. Cuncta ſigna ex inſtituto Dei læta piis futura, ex natura contrariorum triſtia ſunt & erunt impiis, ut iris & ſignum Filii hominis in ultimo illo die, adeoque hôc ſingulari privilegiô gaudent muti iſti, ut ſic dicam, concionatores, ut ſimul contraria denuncient, quod vocales præſtare non poſſunt, qui contraria contrariis verbis efferunt: Sic & Scriptura Sacra in univerſum conſiderata bona bonis, mala malis: ſed hic vel ille Propheta & Apoſtolus his vel illis verbis ſeorſum bona bonis, mala malis in ſpecie denunciat. Clarius dabo exemplum Eſa. c. 3. Paulus Apoſt. Rom. 11. bonis bona, malis mala univerſim denunciat: Sed in ſpecie bonis bona Eſa. 3. 10. Paulus Rom. 2. ℣. 7. malis mala, Eſa. ℣. 11. Paulus ℣. 8, 9. Idem toties fit alibi. Sic etiam ſignum & adventus Filii hominis Matt. XXIV. XXV. & Luc. XXI. bonis bona, malis mala univerſim denunciat: Sed ſpeciatim bona bonis Matt. XXIV. 31. XXV. 34, 35, 36. Lucæ XXI. ℣. 28. malis mala Matt. XXIV. ℣. 30. XXV. ℣. 41, 42, 43, quin & conjunctim utriſque convenientia Matt. XXIV. ℣. 40, 41. XXV. ℣. 46. Ita igitur & Cometa ſignum impropriè dictum, arbitrarium, doctrinale, Concionatori & Conſiliario comparatum, ſimul bonis bona, malis mala, unicâ apparitione denunciat, niſi fortè quis eum, fulgore grato bona bonis, caudâ verò minaci, virgæ ſimili, mala malis denunciare, dicere malit. Qua libertate eum frui ego facilè feram, eandemque cuivis morum probitatem hinc & illinc allatis rationibus & exemplis commendare volenti integram relinquo, eodemque æquitatis jure meam mihi relinqui poſtulo. Quod reliquum eſt, cum omnia in ſe habeat, quem penes eſt virtus, Plauto judice, hæcque in omnium animos lumen ſuum immittat, adeò ut etiam qui non ſequuntur eam, videant, Seneca teſte, ex animo opto, ut bruta quoque animantia non tantùm intelligere (quod Ariſto Chius in votis habuit apud Plutarchum) ſed & eloqui poſſint verba ad virtutem incitantia. Cæteroquin cæli enarrant gloriam DEI Pſal. XIX. eique benedicunt omnia opera ejus Pſal. CXLVIII. Dan. 3. & alibi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

Hìc Hamburgi die 24. *Febr. Juliani* 1667.

S.P. Vir Clariſſime & Doctiſſime.

POſtquam feliciter divino auxilio ad finem operis mei pervenio, non tantùm æquum, ſed & neceſſarium duxi, quidpiam de Cometarum ſignificatione addere. Quapropter ut aliorum Virorum eruditione & prudentiâ præcellentium, ita & tuum exquirendum mihi erat de hoc argumento judicium. Ac Tu quidem ex frequenter habitis Tecum ſermonibus meis mentem hic meam ſatis perceperis, mihi nempè Cometam non Phyſicum (licet phœnomenon ſit Phyſicum, utpote cujus ratio ex ſueto naturæ curſu peti poſſit) ſed Ethicum, non neceſſitate quadam determinante armatum, ſed ſupernaturale, arbitrarium, doctrinale & memoriale ſignum eſſe, ac ut bona bonis, ita & mala malis, ſive hæc ſequantur, ſive non, & ſive bonis ſive malis eveniant, denunciare, & quemque officii admonere. Satis quoque jam antehac mentem hic Tuam mihi ſincerè aperueras, & libellum abs Te de hoc argumento editum tradideras. Ac proinde meritò mihi ponenda eſt hic loci hæc epiſtola ad Te ſcripta, quæ jam dudum inter nos diſcuſſa compendio proponit. Tanto plus, quòd reſponſo Tuo, inſeri quædam, ſaltim præcipua ex Tuo libello celeberrimorum & patrum ætate clariſſimorum Philoſophorum, Fieni, Fromondi aliorumque judicia de hac re continente excerpta ſperem. Nil itaque deeſt, quàm ut mihi toties dicta, in compendium redigas. Contenta Tuo libello argumenta multum pro mea ſententia faciunt, & ut omnem neceſſitatem operandi in mentem humanam Cometis adimunt, ita eidem libertatem congenitam reſtituunt, & aſſerunt Cometarum apparitioni proſpera quoque læta & bona ſuccedere, jugis & perpetua experientia confirmat. Hæc etſi improbis ſæpius obtingant, mala tamen vitio eorum fiunt & in perniciem vertunt: ſicut è contrario quæ accidunt probis triſtia & mala, per induſtriam & prudentiam eorum bona evadunt & in ſalutem vertunt. Inter hæc Cometa, ſive mala tàm opinione quàm reipsâ, bona eventu bonis, ſive bona tàm opinione quàm reipsâ, mala abuſu & exitu malis immittantur, utraque præcedens, & illos ad patientiam & conſtantiam in virtute ſectanda, & hos ad eandem amplectendam ſecundùm mentem Ethices commonere, non immeritò, credò, mihi dicitur. Sed de his plura leges in adjunctis chartis, quas non tantùm Tibi mitto, ſed & judicio Tuo ſubmitto. His fundamenta meæ ſententiæ curioſis quibuſdam Aſtrologis oppoſitæ addo. Tu cuncta æquus lege & judica. Vale.

Ad D. Joan. Blumium Bibliothecarium ad S. Joannis.

Exemplum reſponſi ad has literas dati hìc Hamburgi die 28. *Febr.* 1667.

Nobiliſſime Vir, Domine Colendiſſime.

LIbentiſſimè legi Tuas literas: in quibus jucundiſſimum mihi fuit, quod cognovi, eſſe penè ad Cataſtrophen perductum egregium illud Tuum Theatrum Cometicum, & tantùm ultimum actum reſtare, in quo perdifficilem quæſtionem Tibi tractari, ex iiſdem literis cognovi. Eam rem Tibi volo benè & feliciter evenire. Quod ita fore confido, fretus & induſtriâ & doctrinâ Tua. Quod meam, ad Tuum illum laudabilem conatum adjuvandum operam requiris, facis Tu illud quidem pro Tua in me benevolentia: ſed cum Tu conſummatæ eruditionis Viris ad rem Tuam perficiendam utare, mea ſanè ad eam opera tanquam ab illis jam occupata ſupervacanea videbitur. Attamen ne ullam ego in partem Tibi & honeſtiſſimæ Tuæ cupiditati videar defuiſſe, quæ in præſentia mihi in mentem venerunt, decrevi ad Te perſcribere. De ſignificatione

ficatione Cometarum dicere ingredienti multa quidem paſſim obvia ſunt, ſed nullo ſcientiæ fundo concepta, ſed fuſa & vaga & arbitraria: qualis longinqua oculorum acies eſt per intervalla media caligantium. Cauſæ ejuſce rei ſunt variæ. Prima, inſcitia humana, quæ veritatem ſæpè ſeſe offerentem non comprehendit. Quædam etiam arcaniſſima ſunt, ac veluti in ipſius naturæ ſinu involuta: quibus aut infirmitas noſtra non ſufficiat, aut diverſitas repugnet. Altera eſt, inertia laboris. Perhorreſcunt enim pondus rei, & deſperant ante experimentum, non ſolùm delicati, qui voluptatibus diffluunt, ſed &, propter occupationes, ambitioſi, & avari & egeſtate preſſi, eoque aliis ſe mancipare coacti. Tertia, tarditas ingenii. Sunt enim multi, quibus non deſit inquirendi vel animus, vel otium; ſed ſuo judicio, ut parum perſpicaci, diffidentes, omnia aliorum teſtimoniis potius quàm experientiâ confirmare volunt. Et hi nova plerumque abhorrent, & ſuſpecta habent. Ex quo exiſtit fœda ſervitus eorum, qui omnem, quem ex ingenio ſuo potuerant habere, conatum velut adſtricti certis legum vinculis, perdiderunt, & antiquitatem reſpicientes, naturam ducem ſequi deſierunt. Cum tamen uſus & experientia dominetur in artibus. Quarta eſt defectus methodo labor. Longam facit operam & difficilem ἀπαιδευσία (imperita inſtitutio) brevem & facilem ordo, & ratio & modus. Sed nolo omnes afferre ejuſce rei cauſas, cum haſce indicaſſe ſufficiat, ſi non ob aliud, at ut ſciamus, in hac quæſtione feliciter explicanda 1. primum locum deberi, non authoritati, ſed rationi & experientiæ. Quoniam ſuo quemque judicio res probare aut improbare oporteat, non pendere ex alterius vultu ac nutu, nec alieni momentis animi circumagi. 2. Veſtigiis inſiſtendum Recentiorum potiùs quàm veterum. Paucos enim, vel potius vix ullum ex veteribus exiſtimo poſſe reperiri, qui judicium adhibentibus allaturus ſit utilitatis multum. 3. Ex illis autem aſſumendos eſſe eos, quos commendat ſolida ac virilis ingenii vis, idoneis inſtructa ſcientiis, experientiis, atque inſtrumentis. 4. Si quid inſolitum occurrat, idipſum non ideò vel minus verum vel minus rectum exiſtimandum, quod cum placitis veterum non conſentiat, aut bilem moveat ſuperſtitioſis. Atque hæc univerſè dicta ſunt. Nunc particulatim & breviter exponam, in hiſce tenebris mihi quid videatur de ſignificatione Cometarum. Sunt vero tres ſententiæ, quæ potiſſimum ſpectandæ conſiderandæque ſint. Earum una eſt: Cometas malorum prænuncios eſſe: Alter eſt: Cometas Ethicè bonis bona, malis mala denunciare. Tertia eſt, Cometas nihil denunciare naturaliter. Hæc ſententia (tertia ſcilicet) quoniam primo adſpectu nimis infamis eſt, ſuper ea pauca dico, totius diſputationis nervum ſequenti innectens Dianææ Compoſitæ, juxta mentem fieni formatæ:

Si Cometæ denunciant mala, aut ut cauſæ illa denunciant, aut ut effectus, aut ut coëffectus. Sed nec ut cauſæ, nec ut effectus, nec ut coëffectus, Cometæ denunciant mala.

E. Nequaquam Cometæ mala denunciant.

Aſſumptio tribus membris copulata Categoricis Proſyllogiſmis per partes probatur, & poſtrema quidem ejus pars ita:

Quodcunque denunciat mala, ut coëffectûs, id ab eadem procedit cauſa à quâ mala.

Atqui Nulli Cometæ procedunt ab eadem cauſa à qua mala. Nullus igitur Cometarum denunciat mala ut coëffectus.

Major ſanè veriſſima eſt, ſicut & minor. Quis enim eſt qui neſciat, Cometas juxta vulgarem opinionem, adverſus quam nunc diſputo, fieri ab exhalationibus ſiccis & accenſis? An ab iiſdem & mala, quæ Cometis vulgo tribuuntur, fieri credemus? Recedat igitur quiſquis cum ſupercilio quodam, ne minimâ ſui parte intellectâ tranſiens præſidii ponit in hoc membro aliquid. Fruſtra enim ſperet, cultiori huic ſeculo tàm facilè imponi poſſe in ſerio & ſe-

vero negotio. Opus eſt judicio & experientiâ. Altera pars ſic concluditur.

Quodcunque mala denunciat, ut effectus, tempore mala non antecedit.
Atqui omnes Cometæ tempore mala antecedunt.

E. Nullus Cometa mala denunciat ut effectus.

Minor patet. Majoris quoque ratio nemini ignota eſt, niſi cui ignotus ſit iſte canon Logicus: Nullum effectum tempore antecedit efficientem cauſam, ſive, Nullum effectum tempore prius eſt actione per quam efficitur.

Prima denique pars ſic probatur

Quodcunque denunciat mala, ut cauſa, illud
malorum eſt primum principium.

Atqui nulli Cometæ malorum ſunt primum principum,

E. nulli Cometæ denunciant mala ut cauſæ.

Minoris hujus non levem rationem in eo poſitam eſſe video, quod Cometæ. 1. nec in meteoris ſint, ſed plerique omnes in ipſo fiant æthere. Et ſi largiar quoſdam Cometas gigni in ſublunari regione, tamen negare poſſim, illos calamitatum Phyſicas cauſas eſſe. 2. nec verè ardeant, ſed ſolâ ſolis luce conſpicui ardere tantùm videantur. Tu, Domine, utere cogitationibus Tuis, & quod deeſt epiſtolæ meæ memori præſentique mente ſupple. Sic facile videbis, admiſſâ hac, quam dixi, ſententiâ, primam, in quâ trivialium inventionum fœces deprehenduntur, cedere nunc tandem, ut æquum eſt, veritati. Sed hoc ipſum plus etiamnum habebit momenti, ſi quis partis adverſæ argumenta aliquanto accuratius examinare dignabitur. Id quod factum eſt in eo libello, quem hac de quæſtione ſuperioribus annis ex Tychone, Fieno & aliis collectum in manus hominum dedi.

Quamvis autem rationes hæ, quas attuli, ſatis demonſtrent, Cometas non præſagire futura mala: non nego tamen in illis ſupernaturalem & Theologicam ſignificationem & ineſſe & cogitari oportere. Sicut enim omnia ferè Phœnomena cæleſtia abditam & ſecretam ſignificationem habent: ita Cometæ quoque videntur ſemper aliquid ſingulare divinitùs ſignificare. Quodnam autem illud ſit, & cui regioni denuncietur, quis enarrabit. Perſpectis igitur, prima & tertia ſententiis, venio ad ſecundam, ubi Cometæ dicuntur ethicè bonis bona, malis mala ſignificare. Quæ ſententia, ſi rectè ſecetur, non mala eſt, ſed Scripturæ conſona. Quemadmodum enim apud Matth. cap 24. ℣. 29 ſeqq. Chriſtus inſolitas eclipſes tanquam prodromos diei noviſſimæ nobis indicat, ut impiis ſint pœnitentiæ concionatores, piis ſuaviſſimæ jam inſtantis ab omnibus ærumnis liberationis nuncii: ita quoque piè dicimus Deum Cometarum ſueto naturæ curſu genitorum, apparitione uti, & terrore illo omnes omninò mortales ſui officii admonere, atque ita bonis bona, malis & impœnitentibus mala denunciare. Nec aliter jam olim de Cometis judicavit Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, cujus verba adſcribi merentur: *Non alium*, inquit, *timere debemus præter illum, qui noſtri & hujus ſideris creator eſt. Sed ejus clementiam non ſatis laudare & mirari poſſumus, qui noſtram inertiam, cum ſimus peccatores & impœnitentes, talibus indiciis dignatur admonere. Quia ergo & me, & omnes communiter hoc oſtentum tangit, omnes pro poſſe & ſapere, ad meliora feſtinemus, ne fortè miſericordiam illo prorogante, & noſtra impœnitudine impediente, nos illâ inveniamur indigni.* Verùm hæc, quæ graviter ac ſalubriter à te diſputantur, ego confirmare deſino, & ipſa ſecuritate dimitto, Tuo in Theatro quærenda. Ubi velut ſanctiore quodam ærario recondita, unde ad ſubitas objectiones, cum res exiget, proferantur, & uſu non exhauriantur. Sicut qui patrimonium non paraverunt, ſubinde quærunt: ita quoque qui non ſatis hac in parte laborârunt, paratas apud Te inveniunt quaſdam velut opes; quibus uti, ubicunque deſideratum erit, poſſint, quaſque in procinctu ſemper ad omnes objectiones paratas habeant.

Libellus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

Libellus meus, quem ex Tychone, Fieno, Keplero aliis collegi, & edidi, Tibi ſi dignus videtur, cui in tàm illuſtri Theatro Tuo aliquis locus concedatur, nihil cauſæ dico, quo minus id fiat. Præſertim cum nonnulla, ut puto, in illo contineantur, quæ pondus & robur addant Tuæ ſententiæ. Vale, Vir nobiliſſime, & qui imaginem ipſam ſubſecuturæ gloriæ jam mente conceperis fructumque non ex vili mercede, ſed ex animo Tuo & contemplatione ac ſcientia petis, perpetuum illum, nec fortunæ ſubjectum, anxius de fama ingenii, perge, ut facis, tempora, quæ plerique ſpectaculis, campo, teſſeris, otioſis denique ſermonibus, ne dicam ſomno & conviviorum morâ conterunt, ejuſmodi potius quæſtionibus explicandis impendere, longè plus delectationis, habiturus, quàm ex illis ineruditis voluptatibus. *Dedit enim hoc providentia hominibus munus, ut honeſta magis juvarent.* Iterum Vale.

P. S. Gratias ſpeciatìm ago, quas poſſum maximas, quòd fundamenta Tuæ ſententiæ contra determinatam aſtrorum efficientiam mecum communicare voluiſti. In quibus cum ego quidem nihil deſiderem, intacta à notis remitto.

Hìc Hamburgi die 10. *Martii Juliani* 1667.

S. P. Vir Clariſſime & Doctiſſime,

Recordaberis, credo, ſermonum meorum, quos frequenter Tecum de ſignificatione Cometarum miſcui. Pluribus hoc argumentum inter me & præſtantes quoſdam pietate & eruditione Viros pertractatum in adjunctis chartis videbis. Ideò ſupervacaneum duco Tibi hic mentem meam explicare. Illud ſolum rogo & contendo à Te precibus, ut, quæ tua eſt candida libertas & erga me benevolentia, de hoc negotio judicium facias. Quod ſi alia operi noſtro inſerenda communicare mihi volueris, ſicut quondam ſpem mihi feceras, velim ea quamprimùm ad me mittas. Vale & fave conſtanter.

Ad D. Mich. Kirſtenium
Med. D. &P.P.

Tuo LUBIENIECIO.

Exemplum reſponſi die 19. *Martii* 1667. *dati.*

S. P. Generoſiſſime & Nobiliſſime Domine,

Gratiſſima mihi fuerunt, & cum voluptate legi, quæ nuper ad me miſiſti. Si remitto tardius ſpe tua, ignoſces pro tua facilitate, cum ſcias, me occupatum, licet in tenuioribus, non poſſe ea ſemper exequi, quæ debeo, & volo. Quod judicium meum præterea & ſententiam de re adeò arduâ & tot præjudiciis occupatâ, & mille, ut dicam ita, opinionibus laceratâ requiris; facis pro nimio ſtudio Tuo erga hanc doctrinam, & Rempublicam ſi licet ita loqui, Cometicam. Poſectò à me, cui tenuis rerum ſublimium & divinarum, vel nulla potius eſt notitia, fruſtra exſpectaris quod alii Viri præſtantes ipſo horreo tibi admetiuntur. Quæ dicenda habui de negotio hoc, qualiacunque ſint, in Cometa meo poëmate prodidi. Nunc alia non ſuppetunt. Poſſent aliqua dici clarius & latius: ſed ſupervacaneum eſt, cum aliis eadem ferè ſint dicta. Velim & memineris, me ægrè philoſophari de ejuſmodi, quæ ad divinationes, & rerum futuram ſcientiam pertinent: cum tot alia in promtu ſint, in quibus longè certius verſemur & utilius. Cum tibi, ut ex multis tuis verbis apparet, Cometæ ſigna præbeant non naturalia, ſed aliûs generis (libuit appellare Ethica & artificialia, quæ meo judicio rectius dicuntur ex hypotheſi ſignificantia ſive ex conſtituto) eo ipſo ipſe mihi declaraſti, ad Philoſophos, & inprimis Phyſicam nihil pertinere. Illa enim hypotheſis eſt divina: de qua nihil novit Philoſophus ex ſua diſciplina: neque eam propoſitionem numerat in ſuis hypotheſibus aut theorematibus. Quin & extra ordinem communem Deum vis concurrere ad efficiendos Cometas. eo pariter Philoſophus ne γρῦ quidem: cui ſatis eſt, ſi ſapit pro ſuo captu. Quare nolo ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα, & falcem in alienam meſſem. Inter eos, qui ad

te literas

te litteras miſerunt, amicus ille ex Norico omnium acutiſſimè mihi diſputare videtur, & veriſſima dicere plurima. Inprimis ad nodum digitum intendit th. 12, 13, 14. Ad ea, quæ quærit, Philoſophus non reſponderit. Cæterum occurunt quidem in Tuis, & aliorum ad te quæ non undecunque ἀκριβεστάτως ſunt dicta: ſed epiſtolæ ſunt, non ſyſtemata ſcientiarum, aut partes eorum: & cæteris collatis intelliguntur rectius. Tale eſt, Cometæ eſſe definitionem Ethicam, diverſam à Phyſica. Ergone alia res Cometa eſt Phyſico, alia Ethico? Non puto. Res eadem eſt: ergo ejuſd. unius rei unica definitio, ſive notio. Sed vis dicere, aliter ab Ethico conſiderari Cometen, aliter à Phyſico. Sit ita: ob id alia res non fuerit, neque hinc notio. Sed vero Ethicus, ut eſt talis, & vi ſuarum hypotheſium, planè Cometam ignorat, ut mihi videtur. Hoc adeo ipſe in definitione tua teſtaris, cum hyperphyſicum ſignum eſſe Cometam ais (mallem Cometam præbere tale ſignum, aut ſignificare ita) ergo erit potius Theologicum, & quidem ex Theologia revelata depromtum ſignum: cum naturalis thelogia ejuſmodi ſigna, ut puto, non habeat quoque, quæ nos doceat. Relabimur autem rurſus ad oracula ſacrarum revelationum: quarum, ut dixi, ſcientiam, & interpretationes aliis cedo. Ego mecum, & cum Philoſophis meis habitans, nolo Eleuſinia hæc ſacra inſpicere, ut ipſe interpreter, ſed alios potius auſcultare. Vale, Nobiliſſime Domine, & ingenuitatem meam & ſtudium ſaltem proba, cum alia nequeam facere ſatis.

Auctor eidem die XXVI. *Martii* MDCLXVII.

S. P. TAlem Te in literis Tuis vidi, qualem expetii & exſpectavi. Ita & Te candor & modeſtia cum integra humanitate & judicii acrimoniâ convenit. Multa profectò paucis dixiſti, libertate Philoſophica, quam ſingulariter amo, uſus. Eadem & ego in præſens rationem Tibi de nonnullis reddens, utor, brevitati pariter ſtudens. Quæ in Cometa Tuo poëmate ad rem hanc, de qua agimus, pertinentia prodidiſti, ea Te conſentiente operi meo alibi inſerui. Utinam velles clarius & latius quæ huc faciunt, explicare! Ut id optem, veritatis illuſtrandæ ratio, & illæ eximiæ Tuæ dotes faciunt. Sunt quidem in promtu, fateor, in quibus longè certius verſemur & utilius. Sed crede, mihi idem animus & ſtudium eſt, ut ſcilicet morum probitatem & officia hominis Chriſtiani, quibus nil clarius, nil utilius, occaſione Cometæ, qui hîc inſtar novi & illuſtris incitamenti eſt, inculcem. Hunc uno verbo ſignum Ethicum vocare & Phyſico, niſi Aſtrologicum potius vocandum ſit, triſtia ſola cum determinatione & neceſſitate portendenti, opponere volui. Non quòd is alia res ſit Phyſico, alia Ethico, ſed quòd, ut prudenter ipſe colligis, alio modo à Phyſico, alio ab Ethico conſideretur. Ille enim effectus ejus triſtes determinat. Iſte bona bonis, mala malis, eo denunciari, & morum probitatem commendari, ac velut oblivioni hîc & illîc traditam in memoriam revocari, docet. Cum autem in tanto ſententiarum de origine, ſitu, motu & operatione Cometæ verſemur incerto, videtur Ethicus jure bono incerta Phyſico ulterius excutienda relinquere, certa interim & utilia ex hac occaſione proponere. Quòd ſi etiam definitioni nondum certo definiti à Phyſico traditæ non acquieſcat, eamque in medio relinquat, aliamve notionem certam & publico utilem eligat, nil ſe contra æquitatem facere credit. Sin minus: ſe οὐκ ἠκριβωμένως loqui palam fatetur. Ideò licet, quà talis, planè Cometam ignoret, non ignorat tamen morum innocentiam, imò cum hanc unicè intendat & tractet, eandem occaſione tam illuſtrium phœnomenorum, quod ſibi & meteororum longè citius tranſeuntium, multiſque partibus longè inferiorum occaſione licere putat, docere didicit. Hactenus igitur & Theologum agit. Theologiæ enim miniſtrat Ethicè. Nec melius illa quam ex Apoſtolo doctrina ſecundùm pietatem, vel cognitio veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt 1 Tim. VI. Tit. I.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

Tit. I. definiri poteſt. Revelat nempè Theologia DEUM in ſpecie omnibus decretis, operibus, ſignis, edictis intendere, curare & inculcare pietatem. Hæc Philoſophandi & revelata ſcrutandi ratio cuivis, credo, convenit, & Tibi, ſi Te rectè novi, placebit. En Tibi Amici Norici Viri per eruditi nuperam epiſtolam meamque reſponſionem. En & fundamenta totius meæ ſententiæ, de ſiderum operatione & Cometarum ſignificatione. Cuncta æquus lege & judica, quidque de his ſentias, indica. Vale longum & feliciter ac mihi conſtanter fave.

Idem Auctori Calendis Aprilis 1667.

S. P. DE communicatis iterum mecum literis habeo impenſè gratiam. Ignoſcas oro, ſi tardius remitto. Carminis aliquid una mitto. Studii mei declarandi cauſa, non tam ornandi tui operis, quod nullo eget encomiaſta. Si gratum habueris, licet operi Tuo adſcribas, qualecunque ſit: imo & meum ἐπιςόλιον quod nuper ad te dabam. De cætero excuſabis, ſi nequeo plura, aut Tuo opere Teque magis digna. Pro opibus quiſque ſuis ut ædificat, ità & ſcribit. Vale, & vive feliciter.

Auctor eidem poſtr. Kal. Apriles MDCLXVII.

S. P. REcepi rectè heri & ante quatriduum ſchedas, quas tecum communicaveram: accepi & Tua carmina, quibus conatus meos orbi literato commendas. Sed in his laudes Te nimias & immeritas mihi tribuere, agnoſco. Velim itaque aliquid tenuitati & modeſtiæ meæ conveniens ponas, & reſponſum Tuum ita pares, quò operi inſeri poſſit. Adhuc quidem probaſti mihi candorem, acrimoniam, & libertatem judicii, quam non tantùm fero, ſed & libenter video. Talia enim docent non tantùm ſcitu diga, ſed & in vita utilia. Exſpecto reliquas Schedas meas & reſponſum ad literas XXVI. Martii à me datas. Vale Humaniſſime Kirſteni & fave.

Idem Hamburgi d. 3. Apr. Jul. 1667.

NEſcio ſanè, cui tribuam, meæne negligentiæ, an meorum, quòd ultimas Tuas, d. XXVI. Martii ſuperioris ſcriptas, heri demum, & quidem inſperato, & aliud agens, nactus ſim. Interea acceperis alias meas, cum chartis, quas mecum communicaveris, remiſſis, & verſibus adjunctis. Miraberis hoc ὕςερον πρότερον quaſi, & quòd tacui ad ultimas illas. Sed mirari deſines, intellecto hoc caſu meo; & idcirco veniam dabis quoque omiſſæ mentionis de hiſce tuis, in illis, quas nuper mittebam, breviuſculis. Nimis vero magnificè de me ſentire pergis: ego enim, ut aliàs dixi, mecum ipſe habitare novi; & plus etiam à me exſpectas, quàm præſtare queo. De natura primo Cometarum, nihil addere habeo, quod non perſcripſerim quod ad rei ſummam, in meo carmine, ut teſtatus jam ſum. Nihil attinet multa alia attexere, & inprimis ambages opinionum nolo; inprimis cum alii id egerint abundè. Ut autem certiora habeamus, opus eſt pluribus experientiis, quæ tempus, vel potius induſtria Aſtronomorum, nobis ſuppeditabit. Credo ſanè fore, ut de ortu Cometarum, & reliqua eorum natura habeantur ſucceſſu annorum certiora: ſicut & de mundano ſyſtemate & aliis ſimilibus. Nempe filia temporis eſt veritas. Nunc quid opus eſt excitem ego fluctus in ſimpulo, quod dicitur? Neque enim in mari Ægeo poſſum, ut eſt apud Ciceronem. Deindè repeto etiam hoc, me extra limites Philoſophiæ, maximæ Phyſicæ, evagari nolle, neque adeò etiam mihi licere hoc, per imperitiam aliarum, & quidem divinarum doctrinarum hac in parte. Itaque inprimis de Cometomantia nihil fere habeo. Planè hìc ſum Davus non Oedipus, maximè cum illa nitatur, non Phyſicis hypotheſibus ullis, ſed aut vanis Aſtrologicis, aut, ut loqui amant, revelatis. Unde & Tibi Cometa ſignum exhibet hyperphyſicum. Et ſi licet dicere, quando

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

urgeris à Philoſophis, ad Theologos ſubitò te confers. Eo ego non ſequor in hac re. Nolo ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα, ut proximè dicebam, neque adeo etiam ὑπὲρ τὰ φυσικά. Si quæ Cometæ, ut amicus ex Norico oſtendit, ſignificant (ſua natura & abſque hypotheſi accedente) ut alia omnia in natura rerum. Unde rectè urget, oſtendendum eſſe, ex DEI ſpeciali voluntate, ut dicunt, aliquid ſingulariter ſignificare, ſi ſignificant. Id ad Philoſophum nihil, ut ille eſt. Adhæc aurem mihi vellit, quod dicis, Ethicum boni publici cauſa abreptum interdum loqui οὐκ ἠκριβωμένως. Male equidem, ſi quàm maxime philoſophicè loquamur, ſi quid judico. Boni publici cauſa loquendum eſt Philoſopho, apud Philoſophos, & dum unicè vult eſſe talis, ἀκριβεστάτως. Eo enim à vulgo, confuſiſſimis notionibus utente ſe ſegregat. Et pateriſne hæc adjungam in gratiam Philoſophorum, quæ mihi recordatio diſputationum immenſarum Cometicarum, maximè de ſignificationibus exprimit? Ideò tàm ambigua, incerta & contradictionibus plena ſunt omnia, quòd inter alia accuratæ definitiones negligantur in hiſce, neque in iis conveniatur. Dixi ut hoc tantum inſuper, & iterum attingam, Cometam in Philoſophia mera & accurata, non aliter definiendum ab Ethico, quàm Phyſico, & dico adhuc conſtantiſſime, nempè ſi ἀκριβῶς Philoſophandum & loquendum cum Philoſophis: qui amant accuratam doctrinam. Una res utrique; una ergo notio, ſive definitio. Quid clarius certiuſque? At, ais, aliter conſiderat Ethicus. Quid hoc verò ad rhombum in Philoſophia? Ob id definitio revera alia non eſt facienda.. Multa accipit Ethicus à Phyſico: ergone alia notione illa notat? ut anima eſt, intellectus, voluntas, affectus, mores? Sic Aſtronomus accipit, ut ita loquamur cum aliis, globum, axem, circulum, & infinita alia à Geometra: ergone alias procudit definitiones? Pariter in Medicina accipiuntur ſexcenta à Phyſicis, ut elementa, plantæ, metallica cæteraque: ergone rurſus alia fieri debent, per alias definitiones? Imò verò, ſi unum nomen, plures habeat definitiones, res non una eſt, ſed plures: & hinc ὡμονύμως de quibus dicitur: Ut v. gr. radix eſt alia in Botanicis plantæ alicujus, alia eſt numeri in Arithmeticis. Alius cancer eſt in cælo, alius eſt in aquis, alius eſt in corpore animato. At minimè conceſſeris ipſe, alium revera Cometam hoc pacto eſſe Phyſico, alium Ethico, proprium. Quanquam ego ſentio nullum eſſe ullo modo proprium: ſicut neque alium Solem, neque aliam Lunam aut cæteras res naturales ejuſmodi. Sed pluribus neque hoc diſputare eſt opus. Vide autem dum loquor de notionibus, & definitionibus, me loqui cenſendum eſt de iis, quæ ſunt ſumptiones & principia demonſtrandi: non vero de aliis iis quæ vocantur eſſentiales, aut cauſſales. In priore tali aliqua (de aliis nunc ſolicitus non ſum) à Phyſico tradita rectè, acquieſcendum eſt Ethico, aut cuicunque demum alii. Imò in eis definitionibus conveniendum eſt omnibus, de aliqua re diſputandibus, & antequam convenerint, aërem percutient; & unus de alliis loquetur, alter de cœpis. Verùm ad Logicorum anguſtias delabor, quibus plurimi includi nolunt. Neque ego nunc id penſi habeo: quæ enim attuli de definiendo accuratè, quaſi ἐν παρόδῳ ſeſe mihi obtulerunt. Ego ut repetam eandem cantilenam; cum ut dicitur, δὶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ, vel petitur hoc loco, & hac vice τὰ ἀναγκαῖα: velim quidem ſapere ultra peram, & baculum; non tamen, Cometarum hoc etiam in loco cauſſâ, ultra meam Philoſophiam, maximè Phyſicam. Non poſſum ad extremum, quin attingam quoque, quod in principio tuæ Epiſtolæ ponis; Scilicet, id agere Te, & velle, ut inculcentur boni mores, & probitas, occaſione Cometarum. Optimò ſanè & laudabili conſilio. Sed quibus velis inculcare virtutes, ſive officii ſui quos admonere, plerique omnes alieni ſunt à doctrina accurata, neque doceri eam poſſunt. Ergo ſatis eſt, ſi quis ad eos offerat orationem popularem, probabilem, & dialecticam qualemcunque, imo rhetoricari hìc ſatius eſt, & declamare, undecunque acceptis argumentis, & pro captu eorundem. Aliter agendum longè eſt intra

ſepta eorum, quibus quærenda eſt ἐπιστημονική: ex quorum numero ſi non ſum, velim tamen eſſe. Et præſtat ingenuè fateri, carere nos illâ in Philoſophia Phyſicâ accuratâ ſi nondum inventa eſt, vel quouſque perventum ſit, cordatè eloqui, etiam in probabili cognitione, quàm illâ modeſtiâ depoſitâ gloriari Thraſonicè, aut Amphictyonum more decernere, nondum cauſſâ peroratâ. Hæc iterum in mentem venerunt, humaniſſime à te denuo compellato, nullo equidem merito meo, ſed tua benigna voluntate. Ut ſemel adhuc dicam, unice loquor ac is, qui Philoſophiam curat, & in dubiis decernere omnino nolit. Qua occaſione de modo Philoſophandi aliqua attuli, ne nihil magnoperè afferrem. Quæſo te oroque, Generoſe Domine, placeat tibi porrò mea παῤῥησία Philoſophica, & ingenua confeſſio; Davi, inquam hujus, qui minus eo ſapit, quo magis eſt in piſtrino, ingratis, & Philoſophiæ ingenuæ inimicis occupationibus ſæpè obrutus. Quæ etiam effecerunt, ut feſtinantiſſimè ſcripſerim, & hinc inconcinnè, atque ineleganter. Sed veniam me confido impetraturum à Cometis, & Cometarum amicis; cum & illi ferantur motu adeo ἀνομάλῳ; hi etiam imitentur eos animorum diſſenſionibus, & apud ſeſe ipſos in diverſiſſima ferantur. Cometomantiam ut parum curo, ita Cometomaniam planè nolo, refugio, & cum ea omnem δοξομανίαν. Quam intelligi velim non quamcunque opinionum recenſionem, collationem & diſcuſſionem: (ea enim δοξοσκοπία ad ἐπιστημονικὴν facit, cui fini etiam multorum Commentariorum inſerviunt) ſed adhæſionem in eis, & venditationem pro ſcientia, quæ nondum ſit oſtenſa. Quemadmodum etiam accuratiſſima διδασκαλία non omnibus æque eſt opus, ut dixi. Imo aliqui neceſſe habent ab ea deſciſſere, ut morales ſæpè. DEI ad extremum omnium Opt. Max. immenſam ſapientiam, & providentiam, bonitatemque, ubique fuſam, ſive adſunt Cometæ, ſive abſunt aliaque talia, in natura exoſculor cum piis, etiam ſcientia omni deſtitutis. Cum Pindaro dico

Pyth. ω. β. Θεὸς ἅπαν ἐπὶ ἐλπίδεσσι τέκμαρ ἀνύεται. Θεὸς ὁ καὶ πτερόεντ' αἰετὸν κίχει, καὶ θαλασσαῖον δελφῖνα, καὶ ὑψιφρόνων τιν' ἔκαμψε βροτῶν, ἑτέροισι δὲ κῦδος ἀγήραον παρέδωκε.

Id eſt Smidio vertente:

Deus omnem ſpe exitum perficit. Deus qui & pernicem aquilam aſſequitur, & marinum antevertit Delphinum, & ſuperborum aliquem retundere ſolet mortalium: cæteris verò gloriam non veteraſcentem dare.

Sec manum de tabula, vel de charta potius, & de Cometis. Hac equidem vice Cometas multum valere jubeo: tibi verò incolumitatem omnem, veramque ſalutem precor, ut & bonarum & præclariſſimarum rerum ſcientiam mihi una.

P. S. Verſus mei tuarum laudum non habent nimis. Nihil enim dicunt aliud, quàm omnes Cometas te in indicem retuliſſe, & ſententias de iis auctorum & præclaras & varias. In quo, quod addidi poëticos colores, nihil peccavi. Iterum V.

Eidem Auctor d. XXII. *April. Juliani* MDCLXVII.

S. P. AD literas Tuas poſtremas, Clariſſime Kirſteni, in quibus rectè ἀκρίβειαν & ritè docendi methodum Philoſopho dignam urges, pauca hìc addere conſtitui, ut mea ſuperiora aliquantum explicem, tantillum otii aliis laboribus ſuffuratus. Puto Ethicum meritò uti libertate Oratoribus, qui populari ſermone rem per ſe bonam, laudabilem & publicè utilem undecunque conquiſitis argumentis commendare & perſuadere geſtiunt, familiari, licet alioqui accuratam docendi methodum, quam Philoſophi (quos inter ſe quoque cenſeri gaudet) amant, approbet, &, quà datur, imitetur. Meritò paritèr definitioni Cometæ adhuc traditæ (quam expediri poſſe indubitatam & certam tàm ex animo optat, quàm publicè intereſſe multum, ne ſcil. mentibus noſtris

ambiguæ definitiones, confuſæ notiones & adverſis frontibus in ſe irruentes contradictiones amplius illudant, judicat) non aquieſcit, & hac potius ratio-ne argumentum Cometicum, Cometæ ſcil. Symbolum notum BONA BO-NIS, MALA MALIS, applicando tractandum ſuſcipit. Cum autem fa-tetur ſe οὐκ ἠκριβωμένως loqui, fatetur unà ſe imitari Oratorem potius quàm Philoſophum, cui aliàs ἀκριβεστάτως boni publici cauſâ loquendum eſt, & om-nia opinionum commenta, quæ delet dies, ut alicubi ait Cicero, non tan-tùm Oratorum ſine controverſia, ſed & Philoſophorum ex veritate ſuo ſeculo primus, fugienda ſunt. Ac proinde, ſe apud benignos rerum judices, quòd, cum quid ſit Cometa à Phyſicis ſibi mutuò contradicentibus determinatum nondum videat, id nunc quod & certum & publicè utile eſt (bona ſcil. bo-nis, mala malis à Deo, ut per omnia, ita ſingularitèr per Cometas, ut ſin-gularia phœnomena indicari, ſaltim ex conſequenti, & hominum eorumque plurium ſola triſtia eis imputantium, opinione) in medium proferat, conſe-cuturum eſſe laudem ſperat, veniam credit. Nam ſi vel Magni Hevelii noſtri accuratam Cometæ definitionem, vel, ut ipſe ait, generalem diſcriptionem, recipiat, Cometam ſcil. eſſe corpus æthereum, crinitum ſive barbatum, tem-poraneum, haud omninò quoad caput, globoſum, ſed diſciforme, ex haliti-bus fumidiſque evaporationibus tàm Solis quàm reliquorum Planetarum om-nium conflatum, & quæ ſunt reliqua, quid hæc ad illum, qui nil niſi morum probitatem intendit? Ideò licet qua talis, Cometam ignoret, ut nuper dixi, habitâ ſcil. naturæ, cauſſarum, motûs & efficientiæ ejus ratione, non ignorat tamen officia virtutum, quæ hac etiam occaſione urget, quia ſemper iis com-memorandis & commendandis, tum verò & exprimendis exemplo intentus eſt. Convenit nimirum Ethico, quatenus ſe talem profitetur, tàm illa Phy-ſica in medio relinquere, quàm officia ex occaſione tàm illuſtris phœnomeni, quod plerique pavent, & cui communem opinionem cuncta triſtia tribuere non immeritò urget, in memoriam revocare. Abrumpo potius quàm finio, prementibus me diverſis laboribus, quos boni publici ſtudio non ſubterfugio. Sed nec Tibi gravioribus ſtudiis & occupationibus dedito amplius moleſtus eſſe pergam: niſi quòd etiamnum ternam theſium & rationum mearum decuriam, aliquantum auctam Tibi ſiſtam. Verbo præterea me doce, an Planetæ lumen aliquod innatum habeant nec ne? tum quis Clariſſimorum Mathematicorum id argumenti tractet? Vides enim me hujus rei mentionem th. VI. facere. Tum quid intelligendum ſit per Cometas Meridionales eoſque matutinis oppoſitos, quorum Bertius init. Geograph. meminit. Vale & conſtanter fave

Tuo LUBIENIECIO.

Idem Auctori d. XXV. *April.* 1667.

REctè dicis, Te in medio relinquere, quæ à variis accepiſti. Rectiſſimè in-quam. In iis & mea Tibi ſunto. De lumine Planetarum mutuatitio Gaſ-ſendus Phyſ. ſ. 2. lib. 4. cap. 4. Joh. Phocylides Holwarda Phyſic. cæleſt. c. 12. Bullialdus noſter acutiſſimus, licet lumen proprium tribuat Planetis, tamen concedit, imbecillius poſſidere, quod in oculos facilè non incurrat. Sed de eo hîc non quæritur, ſed de eximio illo, quo videntur ea ſplendere. Hoc planè adventitium eſt. De Bertio non memini. Neſcio qui ſint alii Cometæ meridia-ni, quàm qui in meridie videri poſſint, aut in meridiano verſentur: cum ma-tutini ſint cenſendi, qui manè appareant. Ad rationes illas XXX. nihil addere ha-beo. Et omnino nunc, & ſine exceptione, manum de papyro, & de Cometis. Benè vale & boni conſule, quodcunque velle meum, & Philoſophicum.

Dignit. & Nom. Tui Nobiliſſimi obſervantiſſimus

MICHAEL KIRSTENIUS D.

JUSTA

JUSTA

Nobiliſſimo & Ampliſſimo Viro,

D. JOANNI ERNESTO DE RAUTENSTEIN,

Domino de Dieteldorf, Miniſtro Statûs & Sanctioris Conſilii ac Legato Neoburgico Illuſtriſſimo ad aram amicitiæ perſoluta ab Auctore & Amicis.

Exemplum literarum à Nobiliſſimo & Clariſſimo Viro, Domino NICOLAO HEINSIO &c. ad Auctorem datarum.

Holmiâ Hamburgum die 10. 20. *Maji* 1666.

ULtimas Tuas Kalendis Majis exaratas æræ Gregorianæ miſit ad me Dn. Rautenſteinius, biduo ante diſceſſum ſuum. Ipſe nudius quintus unà cum Principe Darmſtadienſi ex hoc portu vela in Holſatiam fecit, Gottorpium contendens: unde Hamburgum iter inſtitui abs ſe poſſe, ſi id detur per attritas vires, augurabatur. Ulteriorem hîc terrarum moram fatalem ſibi fore ominatus, feſtinavit abitum pro virili. Quamquam ego metuo, & quidem maximè, ut jactationi nauſeæque marinæ ſuſtinendæ par ſit Vir tàm adfectæ valetudinis. Utinam hunc Tu metum mihi mox excutias optato nuncio, de illius proſpera navigatione, ſoſpitiſque ac incolumis in Holſatiam appulſu. Nudius tertius hæc pro illo ad me ex Hamburgenſi civitate miſſa eſt epiſtola, quam tuæ fidei ac ſedulitati commendo. Optaſſem plura præſtitiſſe officia communi amico, ſed quia hoſpitium ejus à meis ædibus erat admodum remotum, non potui omnia conferre in medium, quæ humanitatis lex à me flagitabat. Vale.

Tuus ex aſſe

NICOLAUS HEINSIUS.

Hamburgo Holmiam die 1. *Junii Gregoriani* 1666.

AD literas Tuas die 20. Maji Gregor. datas proximè Tibi reſpondi. In præſentia extrà ordinem ad Te ſcribo. Quod officii utinam aliud aliquid provocaſſet, quàm triſtis & acerbus nuncius de præmaturo exceſſu, mente à Te præcepto, quia prudenter præviſo, communis Amici noſtri, Illuſtriſſimi Legati Neoburgici, Domini Rautenſteinii, quem his inauſpicatis Kalendis Juniis Gregorianis mortuum pro vivo, id eſt cadaver exſangue pro egregio illo corpore in meam domum recepi. Heu! quàm fallaces ſunt circa mortalia ſpes noſtræ: quàm inania vota! Convenerat inter nos, ut apud me diverſaretur, quò per aliquot dies mutuò de rebus publicis privatiſque pro jure ſingularis amicitiæ colloqueremur, & ſuaviſſimis confabulationibus, illis ſcilicet invitabilibus & cum quadam illecebra & voluptate utilibus, à Gellio commendatis, invicem nos exſatiaremus. Ecce autem luctu & mœrore cor & domus mea repleta eſt! Amiſi enim profectò Amicum ſingularem & eximium, quod dixiſſe ſufficiat. Talem eum fuiſſe, & optimè in me animatum permanſiſſe, Tu quoque noſti. Noverant plures Amici & Viri egregii, qui me proxenetâ amicitiæ jura cum eo colebant. Quos inter eſt Collega Tuus Nobiliſſimus & Ornatiſſimus Peltzius, tùm Clariſſimus Bullialdus, qui apud me officio erga defunctum tanti nominis amicum his proximis diebus decurſis defuncti ſunt. Omnes iſti, ſed & alii, quicunque bonas artes & partes amabant, jacturam tanti Viri & tam probi & induſtrii amici, vehementer dolebunt. Sed & ego certè inter graviſſima hunc

caſum dolituros merito me pono. Optabat beatus Amicus maximoperè videre ea, quæ jam ex opere meo Cometico poſſideo impreſſa. Hæc enim ea quæ inter me & illum alioſque quoſdam Amicos & Te, Clariſſime Heinſi, de hoc argumento communicata fuerunt continent. Sed uterque noſtrûm amplâ & jucundâ ſpe excidimus. Hanc nempe mihi ingens ille & perpetuus, quo res humanæ verſantur, turbo excuſſit, idem qui amicum noſtrum vitâ & hâc communi orbis patriâ. Quid itaque aliud faciamus, quam ut mentem dolore concuſſam ad quietam conſtantiam, & vitam alioqui aſſiduis procellis jactatam, ad illam non tantùm quietem, ſed & beatitudinem æternam componamus? Reliquit me integerrimus amicus: reliquit maximum ſui deſiderium: ſed & proſperam ſui memoriam ac perennem gloriam, uberem virtutum ſuarum fructum, reliquit. Mea illa de argumento Cometico & occaſione ejuſdem alia, quæ publico paro, ſi quid, ut ſpero, valebunt, vivet in illis meus Rautenſteinius, qui agmen, ut ſic dicam, tot Amicorum meorum, Virorum natalibus, meritis, dignitat bus, eruditione virtuteque Illuſtriſſimorum & per orbem Clariſſimorum in Theatrum illud Cometicum ducet. Vivet ibidem in ſuis Vir omnibus laudibus cumulatiſſimus: vivet in aliis præclaris ingenii & induſtriæ facinoribus, quæ *ſicuti anima*, vel ipſo tàm elegantis ſtili quàm obſcœnæ vitæ Criſpo judice, *immortalia ſunt*. Vivet dico, in libris, etſi ut in liberis viveret, naturæ parens Deus negârit. Adjungo huic epiſtolæ carmina quædam à Rautenſteinio & ad eum ſcripta. Inter illa eſt egregium epicedion honori Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi undique Viri Boguſlai Leſcinii, cujus Clariſſimus Pater Tuus olim amicitiâ familiariter uſus eſt, dicatum. Adjungo & epitaphium memoriæ Amici noſtri à me datum, quod extemplo tàm molliendæ triſtitiæ, quàm teſtandæ candidæ & intemeratæ benevolentiæ cauſſa compoſui. Cui Tu velim addas quod Tibi dives ingenii & facilis ſuppeditabit vena, ut in Tuis quoque carminibus vivat Vir non tantùm utrique noſtrûm amicus, ſed & de omnibus bonis, deque publico benè meritus. Vale.

In obitum Illuſtriſſimi

D. BOGUSLAI LESCZINII,

Regni Polon. antea Theſaurarii, nuperrimè Vice-Cancellarii.

Leſczinii Boguſlai elogia & epicedion.

1. LEſczinius leſſum meruit: ſed Phœbus acerbo
   Attonitus caſu, vix ſua plectra movet.
2. Os Suadæ, Columen Patriæ, ſplendorque Senatûs
   Aonidum natus, Martis alumnus obit.
Leſczinius proh mœror! obit: quo nomine ſolo
   Quæ dici poterant, omnia dicta puto.
3. Quo poterat mundus, non ſola Polonia Cive
   Gaudere; aſſereret quem ſibi quodque ſolum:
Leſczinius, medio terris ereptus Honorum
   In curſu, ad ſuperos hinc abit: immò redit
Non obit, aſt abit; ut majora capeſſat ibidem
   Præmia: quæ meritis quis daret hîcce ſuis?
4. Leſczinium cur Fata vocant in Flore virili?
   Aſpera tam Juveni? mitia tot Senibus?
An quia de Patria plus flore ætatis in ipſo
   Hic meruit, multi quàm meruêre ſenes?
An quia nec dignum tanta virtute, nec illi
   Sat gratum hoc ſæclum Fata fuiſſe putant?

An

An quia cui dignas nequiit perſolvere grates
Patria, Cælum ipſi præmia juſta dabit?

Varſav. m. Sept. 1659.

De Rautenstein.

In Generoſum & Nobiliſſimum Virum, Dominum

JOANNEM ERNESTUM de RAUTENSTEIN,

Sereniſſimi Principis Neoburgo Palatini Conſiliarum intimum, antea in Polonia, jam ad Principes Imperii Confœderatos Legatum, Dominum & Patronum ſuum.

Alluſio nominis.

PRincipis hic eſt PETRA ſui, cui maxima rerum
Incumbit moles, cui ſecretiſſima credit
Pondera NeuburgI Dux, hocque Polonia novit,
Utpote quæ talem tollit ſuper æthera RUTAM,
A qua conſilii ſenſit turbata levamen
Quando Sarmatiæ reddebat OLIVA quietem
Multa quid? hæc multis arridet RUTA monarchis,
Secretis Regum ponique meretur in hortis.

Francofurti ad Mœnum $\frac{11}{21}$. Octobr. 1661.

T. obſervantiæ ergò

J. Theodor. Sprenger.

Ad D. Paſtorium de Scriptis D. Venatoris.

VEnatum me blandus amor dum Suadaque SmidI
Invitum invitat, ſpem faciens Leporum;
Longè alia, & plus grata mihi venatio nata eſt,
Paſtori paſcens munere mentem, animum.
Illa pedes laſſat, vento remorante catellos:
Hæc recreat Genium luſibus ingenii.
Pro lepore hîc uno venor nunc mille lepores,
Quos Venatoris ſcripta venuſta cient.
Jam quicunque volet canibus percurrere montes,
Me ſine per Sylvas, per nemora alta volet:
Quem juvat interea dulces evolvere chartas,
Et legere ad parvum grandia metra focum.
Queîs Venatoris præſentes Muſa Poëtas
Exſuperat, priſcos non minus æquiparans.
Aſcendiſſe mihi Landſbergæ in culmine Pindum,
Et videor Phœbi numine plenus agi.
His oculis videor mihi cernere Venatorem,
Quem veneror luſtris à tribus atque colo.
Et certè ante abitum, quem non vidi ante, videbo,
Complexuque fruar colloquioque Senis,
PaſtorI ductu. Quod ſi mihi fata negabunt,
Hoc illi ſignum carmen amoris erit:
Phœbi in conſilio, Germanorum inclyta Gemma,
Venator meritò jure Senator erit.

Extemporaneo impetu ludeb.
L. M. Q. Landſbergæ die 15. Maji 1662.

De Rautenstein.

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

Ad D. de Rautenſtein.

ARdua qui tractat momenta & pondera rerum,
Cùm magnorum urget ſollicitudo Ducum:
Seu Cæſar dandus populoſo palmifer Orbi,
Ad Mœni Regum ſceptra novantis aquas:
Seu Pax reddenda eſt Geminæ Rectoribus Arcti,
Surgat ut invito Marte refecta quies;
Seu decus Imperii reſtaurat convena cœtus,
Ne ruat excuſſo Lex carioſa pede:
Hunc ne ego crediderim Parnaſſi in vertice malos
Ipſorum in caſtris vincere poſſe Viros?
At RAUTENSTENI vis Iſtud præſtat & Illud
Oblatum quoties Iſtud & Illud agit.
Nobilitas agnoſce Tuum Germanica lumen,
Et ſequere hanc laudum per maria alta Pharum.

BALTHAS. VENATOR.

B. Venator ad D. de Rautenſtein.

ABſentes inter commutat Epiſtola Salve
Inter præſentes iſta Miniſtra vacat;
Hic ſermo & congreſſus erant comiſque voluntas,
Et Dea quæ lymphas adcolit Orchomeni.
Dulcior eſt potus quem proxima præbet origo,
Quàm quem moroſo ſuſtinet urna ſinu.
Poma etiam ſunt grata magis quæ pendula ramo.
Ipſi à fœcundis carpimus arboribus.
Sic Rautenſtein geminat mihi copia fructus,
Non procul à Charta quem, ſed ab ore lego
Quæ me nunc ſaties nunquam ſatianda beabit.
Quæ me felicem gemmea dicta manent!
Nunc aures totas nunc totus lumina paſcam.
Hoc jus jus longè vincit epiſtolicum
Hoc operæ pretium mihi lis aliena paravit,
Nec foret id, Dominus ſi ſine lite foret.

Meiſenh. 20. Junii 1662.

B. VENATOR.

Holmia Hamburgum d. 16. *Junii Greg.* 1666.

ACerbum mihi prorſus accidit, quanquam minimè inexſpectatum, funus amici communis. Erat enim eo loco valetudo ejus, cum hinc ſe proripiebat noſter, ut agitationi marinæ non reſponſuram eſſe facilè præſagires. Nec hoc diſſimulavi apud ipſum. Sed quod parum felicitèr ſub adventum in hanc Civitatem ſuum chymici cujuſdam curæ ſe permiſiſſet, qui remedia adhibebat nimis violenta acriaque, uti noſter ſerus conquerebatur, eo res ſibi ſuas habere juſſo, alios quidem convocavit, ſed parum profuturos. Cæli itaque hujus inclementiam culpare cœpit, atque ea imbui opinione, ut crederet ſe poſſe convaleſcere, ſi auras cæli patrii hauriret. In eo defuit ſibi ipſe, quòd poſt priorem morbum tempeſtivè nimis publico ſe credidit, invitatus ad prandium à Magno Regni Suecici Cancellario, in villam ſecundo ab hac civitate lapide: vallem Jacobeam dicunt. Vix accumbebant convivæ, cum noſter colicis doloribus &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

animi deliquio graviter temptari cœpit, ut domum confeſtim regredi ſit coactus. Exhibui toto valetudinis adverſæ tempore id officiorum, frequenter viſendo ad ægrotum, quo nil majus potui præſtare toto fere miliari remotis ab ejus hoſpitio meis ædibus. Quæ tu memoriæ Viri præſtantiſſimi dediſti non minorem ab elegantia, quàm à pietate in amicum ſingulari, laudem merentur. Redeunt nunc ad te carmina, quæ ipſe partim ad alios, partim alii ad ipſum conſcripſêre. Si quid aut tu aut ex tuis nonnemo forte epiſtolarum ad me dediſtis, litteris Rautenſteinianis incluſum, ex quo amicus noſter hinc navigavit, quod mihi redditum non ſit, id ad me perferri des operam, etiam atque etiam te rogo. Vale Vir Clariſſime & Generoſe.

Tuus

NICOLAUS HEINSIUS.

JUSTA

Viro Generoſo

D. JOANNI ERNESTO à RAUTENSTEIN,

Utriuſque Ditteldorffii Domino, Sereniſſimi Ducis Neoburgici Conſiliario Statûs Intimo, variis per Germaniam, Poloniam, Sueciam Legationibus ſummâ laude obitis Clariſſimo perſoluta Dantiſci

à JOH. PETR. TITIO.

QUàm noſtræ cupidis peterent Tua lumina chartis,
  Quàm mihi ferre Tuis oſcula, dulce foret:
Funera tàm triſte eſt juſſo deplangere verſu,
  Atque Tuis Elego ſolvere JUSTA rogis.
Ergo jaces ſpolium Clothûs infeſtaque nobis,
  RAUTENSTEINIADE Te quoque Parca metit?
Principibus nuper dilectum Nomen & ingens
  Theſpiadum, Phœbus quod probet ipſe, decus.
Heu! quianam Lacheſis nullis expletur avara
  Exuviis, præda non ſatiante manûs!
Impia ferali dum turbine ſævit Enyo,
  Sanguine dum terras, ſanguine fœdat aquas;
Dum, quæ Biſtonium poterant frenare Tyrannum,
  Barbariæque truces exanimare minas,
Verſa infelici ſua dudum in viſcera Fato
  Mactandis miſere Fratribus arma vacant:
Laſſarunt Stygium pridem tot millia Nautam,
  Hiſcentemque frequens degravat Umbra ratem.
Sæva tamen rabidam neſcit cohibere ſecurim
  Atropos, & triſti cuſpide cœca furit.
Improba, ſi qua ſuos ultro tibi commodat enſes
  Turba, caditque aris victima juſta Tuis:
Fas erat, his ſaltem placidâ Te parcere dextrâ
  Candida quos Paci corda ſacraſſe vides;
Qui ſtudiis ornant addicti mitibus ævum,
  Reſque animo lapſas, Conſiliiſque juvant.
Qualis erat noſter modò RAUTENSTEINIUS ille
  Qui nunc ante oculos funus inane jacet.

Exſtinctum innocuæ plangunt Heliconis Alumnæ,
  Quarum vivus amor, deliciæque fuit.
Has ille à tenero flagrans adamaverat ungue:
  His noctes dederat ſtrenuus, atque dies.
Nec poterat Fortuna Sacros ſplendentior æſtûs
  Pellere, blanditiis quamlibet uſa ſuis.
Quò magis eminuit, meritos ſortitus honores,
  Et dignum ſtudio, pulchra petente, decus,
Ingenuas tantò recolens impenſius artes,
  Ingenuis comem ſe, facilemque dabat.
Turpe ratus, meritis benè non bona reddere Muſis
  Præmia, ventoſum nube gravante caput;
Atque ſupercilio inſontes calcare ſuperbo,
  Fœdoque ingrati crimine ferre notam.
Nec minùs ille animos Magnorum flectere Regum,
  Et Celſos poterat demeruiſſe Duces.
Qui, culto varias mirati in pectore dotes,
  Conſpicuo illuſtrem conſtituêre loco:
Plurima quò Virtus illum & Prudentia Mentis,
  Multoque extulerat cognita teſte Fides.
His adeò raris fulgentem laudibus eheu!
  Invida crudeli funere Parca rapit:
Aula dolens meritò, tanto viduata Miniſtro,
  Luget & ereptas tot ſibi mœret opes:
Perpetuus Magni Legatus Principis, olim
  Promere quas linguâ noverat, atque manu.
Ereptum deflens Uxor generoſa Maritum
  Pignoribus dudum dulcibus orba, gemit.
Nos quoque privatim lachrymis Tua buſta rigamus,
  Et vacuos mœſto ſpargimus imbre rogos.
Tu neutra veterem ſorte adſpernatus amicum,
  Signa animi nobis non dubitanda dabas.
Tu ſpretam obſcuri ſectantem pulveris umbram,
  Protrahere, & luci ſiſtere, pronus eras;
Pelliculamque intra tantùm latitare volenti,
  Gaudebas magnos conciliare Viros.
Teſtis erit, ſummi Tua litera plena favoris,
  Quâ noſtrum haut adiit crebrior ulla larem.
Teſtis erit nectar diffundere viſa, favoſque
  Quâ mihi vix potuit carior eſſe manus.
Heu mihi! tàm grato nunc munere vivimus orbi:
  Heu mihi! quicquid erat tàm mihi dulce, fuit.
Te non Virtutis, ſolidæ non laudis egentem
  Abſtulit, & tenebris merſit acerba dies.
At non virtutem potuit non mergere laudem,
  Si cineres juris fecit, & oſſa ſui.
Funeris hæc Victrix ſupereſt, & læta triumphat,
  Atque immortali fronde revincta nitet
Subtractum hæc oculis memori dudum inſerit ævo,
  Ut clarum ſera in ſecula Nomen eat.

In Effigiem Ejuſdem, viventi miſſum.

RAUTENSTEINIADÆ Virtus hoc eminet Ore,
  Eſſe ſuum Magni quem voluêre DUCES.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

Nec minus & Pindi decus eſt. Doctiſſimus Ipſe,
Doctrinæ & doctis ſic favet ille Viris.

Ab eodem J. P. Titio.

EPITAPHIA

Manibus Rautenſteinianis Amicis manibus donata.

I. *Lubieniecianum*.

Specta, quiſquis iſta legis
Vivum in mortuo fragilitatis humanæ exemplum;
Et, quia citius, ſerius, certo tamen certius, moriturus,
Te ad ingenioſam ſolertiam,
Indefeſſam virtutem,
Perennem laudem,
Æternam beatitudinem.
Omni niſu, ſtudio, ope compone.
Invitat te ad hæc cuncta.
JOANNES ERNESTUS de RAUTENSTEIN
Utriuſque Ditteldorfi Dominus,
A miniſteriis Statûs & Sanctioribus conſiliis
Sereniſſimo & Celſiſſimo Principi PHILIPPO GUILHELMO.
Comiti Palatino Neoburgico,
Cujus auctoritate varias in Conventibus Imperii, & alias per
Germaniam, Poloniam, Sueciam Legationes ſplendidè,
dextrè obivit ſemper & ubique laudabilis,
Virtutum & præclararum dotium documenta præbens & relinquens
Omnibus bonarum artium & partium amantibus amicus,
Ideoque meritiſſimo percarus,
In colendis amicitiæ juribus candidus, induſtrius, conſtans,
ac propè inimitabilis,
Ad ſummum gloriæ faſtigium viâ virtutis contendens.
Inexplebilis Librorum helluo,
Infelix amiſſorum liberorum pater
Fidus maritus lectiſſimæ & dilectiſſimæ Conjugis,
MARIÆ ELISABETÆ FRISIÆ
Affectu duorum ſororis filiorum Pater.
Verbo: virtutis & induſtriæ exemplum,
Per quas homo honeſto loco natus
Ad illuſtrium dignitatum gradus feliciter pervenit.
STANISLAUS de LUBIÆNIETZ LUBIENIETZKI ROLITSIUS
Eques Polonus
Amicorum optimo & integerrimo,
Quem à Suecica legatione redeuntem,
Domi ſuæ ex compacto diverſaturum exſpectabat,
Nunc autem Eheu!
Chilonii Cimbrorum quinto ab hinc die æt. XLIV. placidè mortui,
Id eſt, laboribus terra marique exantlatis fracti,
Et fidei Magnanimo Heroi Hero ſuo debitæ immortui,
His ipſis Cal. Juniis Gregor. Ann. Chriſti CIↃ IↃCLXVI. Hamburgi
Exuvias mœſtus recepit,
Monumentum hoc ad aram amicitiæ extemplò poſuit

Abi Lector
Benè Vale
Benè age.
Mortuus dum ſuos claudit, tuos recludit oculos.

II. *Ejuſdem.*

Sacrum perenni memoriæ
JOANNIS ERNESTI de RAUTENSTEIN
Ditteldorfii Domini,
Quem honeſto loco natum,
Educatione, literis, peregrinatione, moribus, excultum.
Eximiæ dotes, præſtantia merita,
Ut multis per Germaniam Sereniſſimis Principibus
Miniſteriô & operâ ejus feliciter uſis,
Ita præcipuè ocello Principum PHILIPPO GUILHELMO
Comiti Palatino Neoburgico,
Conſpicuum reddiderant, commendârant:
Utque ab hoc non tantùm conſiliis & negotiis arcanis,
Sed & Illuſtriſſimis Legationibus adhiberetur effecerant.
Teſtatur id Germania patria, Polonia, poſtremò Suecia,
Ex qua dum Vir præcl. redit, patrium anhelans dulce ſolum
Ad metam fatalem Chilonii Cimbrorum pervenit
D. XXVIII. Maji Ann. Chriſti MDCLXVI. Ætat. XLIV.
Cum nullos reliquerit liberos,
Libros tamen & animos permultor. Cl. Virorum proſperâ ſui memoriâ,
Hos verò etiam mœrore & deſiderio ſui, plenos reliquit.
MARIA ELISABETA FRISIA
Mœſtiſſima conjux, lacrumis ſaxum cavans,
Optimo & deſideratiſſimo marito
Fidei & amoris perpetuum monumentum poſuit.

III. *Gruterianum.*

Virtus & Eruditio
Iſta non afflata ſeculo,
Hæc non umbratica, ſed lucis patiens & agendo providè
ac feliciter ſpectata
Illuſtrem fecerunt JOANN. ERN. RAUTENSTEINIUM
Utriuſque Ditteldorfii Dominum,
Suæ induſtriæ & virtuti plus quàm natalium ſorti debentem.
Sic Principum gratia floruit
Sereniſſimi præſertim PHILIPPI GUILHELMI Ducis Neoburgici
Cui in variis per Germaniam, Poloniam, Sueciam Legationibus
Fidem & induſtriam probavit.
Vir indefeſſus, & in aulæ lubrico conſtare ſibi gnarus:
Poſt publica ſanctè & ſollicitè habita
Privatæ etiam cum eruditis & literarum amantibus amicitiæ.
Ad religioſam uſque obſervantiam tenax.
Poſt fatigationes glorioſas hic corporis exuvias accepit locus.
Anima beatis mentibus addita
Memoriam grata fovebit & propagabit poſteritas,
Conſpirantibus in quandam æternitatis prælibationem officiis amicorum
MARIA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

MARIA ELISABETHA FRISIA
Mœſta Conjux marito deſideratiſſimo poſuit.

IV. *Ejuſdem.*

Annæ perennæ S.
JOANN. ERN. de RAUTENSTEIN utriuſque Ditteldorſii Dominus,
Debuit excellenti ingenio & virtuti, totam fortunam
Nominis celebritatem magni in Aula & literis.
Ab his in illa ſplendor Principes ei conciliavit,
Inprimis Sereniſſimum PHILIPPUM GUILHELMUM Palatinum D. Neoburg.
Cui fidem, induſtriam, in agendis rebus dexteritatem
Variæ ejus nomine Legationes probarunt,
Ut iſtarum virtutum teſtes habeat, Germaniam, Poloniam, Sueciam
Poſt habita religioſè & perquam ſollicitè publica,
Reliquum ſe privatæ impendit amicitiæ officiis.
Doctos & literarum amantes omni profecutus obſervantiâ,
Ipſe variâ eruditione cultiſſimus.
Memoriam tanti Viri
Celebrarunt fidiſſimo mentis depoſito,
Quos & Muſis interior neceſſitudo devinxit
Adſcripto Beatorum ordinibus,
Abi lector, & æternitatem cogita.

EPICEDIUM

In obitum Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini

JOANNIS ERNESTI de RAUTENSTEIN

Conſiliarii & Legati Neoburgici.

Funereæ radient alibi ſpectacula pompæ,
Quæſitos titulos variè oſtentante paratu:
Quæque per innumeros ſtirps derivata nepotes
Præclaris meritis in poſtera ſecula notæ
Auſpiciis virtutis iit, monumenta piorum
Poſtgenitis memoranda gerat. Sunt iſta probatæ
Gentis honos: & facta modis inſignia multis
Materiam laudis non infœcunda miniſtrant,
Quæ populo ſeſe ſic applaudente propagat,
Temporis ac ſegnes expugnatura tenebras
Neſciet infeſtæ metuenda oblivia lethes.
Illa quidem nobis haud aſpernanda videntur.
Sed bona majorum Sapiens vix noſtra putabat.
Hæc, quàm nunc juſtis lachrymis adſpergimus, urna
Ex ſeſe quo fulget, habet, floreſque datura
Perpetui veris, vanos faſtidit honores
Et partis animoſa ſibi, ludibria mundi
Reſpuit, affuſò latè dominantia fucô.
Natales etenim quæ ſors conceſſit honeſtos
Intima virtutis variæ commercia ſenſit
Viribus ingenii fauſtè ſub nixa potentis.
Scilicet hunc Titan cum fingeret arte benignus,
Eximiis illuſtre bonis & grande parabat

Hoſpitium. Totò ſpirabat Apolline plenum
Pectus; inundarunt, Parnaſſia Numina, Muſæ
Pieriæ vegetum ſcatebris vocalibus undæ.
Hic reperit ſtudiis ſua laxamenta ſeveris,
Palladis auguſtæ poſtquam atria vaſta frequentans
Perveſtigandis impenderat otia rebus,
Et mundi promptos quæcunque educit in uſus
Doctrinæ excellentis amans; quæ claudier umbris
Abnuit, & clarâ præbet ſe luce videndam.
Sic poſt ſpectatas ſenſim prudentia gentes
Gliſcit, & aggeſto cenſu ditata bonorum
Præſidium in magnas meditatur nobile curas,
Principibus placitura Viris, Pietaſque fideſque
Cælitus accenſos flagrans quæ concipit ignes,
Nec vario mundi rapitur verſatilis æſtu.
Lubricaque infamis neſcit veſtigia ſecli,
Quid non grande poteſt adſcitis ſplendida Muſis!
Virtutum collecta tibi tot nomina, læto
Mens aſſerta polo, ſedeſque habitura beatas,
Venturæ haud dubitanda fuerunt omina famæ.
Non conquiſitis opus hîc aſſurgere verbis,
Atque laborato carmen grandeſcere cultu.
Res te nota levat, laudumque parata tuarum
Materies nulli ſeſe ſubmittere vati
Debet, ut inflatos mendicatura triumphos
Degeneri ſtrepitum ſpecioſum venditet ævo.
Nam te per quaſcunque tulêre negotia terras
Laſſandum multarum immani pondere rerum,
Ingenii ut præfulſit apex, ſic gloria paſſu
Inceſſit comitata pari. Germania teſtem
Spontè dabit, decorique applaudet grata ſuperbo *
Illa tot annorum vaſtata Polonia bellis,
Eſt velut extremi pavitans ſub mole pericli,
Vidit honoratas non parvo tempore curas
Inter hyperborei glacialia frigora cæli;
Hîc ubi damnatæ nimbis urentibus oræ
Plurima vexatis monſtrant ſquallentia terris.
Dum ſatur & laudum, exantlandorumque laborum
Blanda fatigatæ circumſpicis otia vitæ;
Victuruſque DEO & Muſis dum defluit ætas
Emenſis afflicta viis, adeunda vocabat
Suedia, ſollenniſque agitantem munia curæ
Viſcera ſuffodiens vis morbi perculit ægro.
Sic delaſſatis dum publica ſuſtinet annis,
Ingeniiſque acer magni per pondera rerum
Vaſtam verſat opem, cunctis exempla daturus,
Quæ ſeri laudent, cupiantque exſtare nepotes,
Immoritur curis, fato properante, moleſtis.
Heu! dignus longi ſpatiis majoribus ævi,
Raptus abis, non in ſublata prole ſuperſtes:
Quemque puerperiis thalamum Lucina probavit,
Afflixit Libitina ſuæ non irrita prædæ.
Sed memores animos hic ſervature tuorum
Quos Tibi junxerunt ſociali fœdere Muſæ,

* Horat. quæſitam meritis ſume ſuperbiam.

Hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

Hoc noſtri fidum quoque pignus amoris habeto
Ille frequentatô per diſjunctiſſima cultu.
Impiger, & nullo tardarier obice gnarus
Adſtrinxit vinclis ſe religioſus utrimque.
Quæ non ulla Lues fallacis polluit ævi,
Sed caſti ſtudioſa ſacrat conſtantia nexûs,
Suſpectâ major multis mortalibus Aula.
Moribus illa tuis non adſperſiſſe venenum,
Non mentis potuit ſanctæ fœdare ſerenum
Offuſis nebulis, Stygiæ exhalare paludes
Tartareæque ſolent quas latè emittere peſtes.
Hoc ego depoſitum fidei oblaturus ad aram
Simplicitate lito: quæ noſtræ plurima dextræ
Viventi documenta dedit: ſed conſcia triſtis
Naufragii ſtudiorum, dum ſors atra juventæ
Diſſipat erectas per nubila tempora curas,
Altius impreſſum fati teſtantia vulnus.
Et quanquam laudum ſeries immenſa tuarum
Exciti non vatis eget, præconis ubique
Ex ſeſe ſparſura ſonos: tamen arte celêbres
Pieriâ & totus quos Pindi ſpiritus afflat
(Doctrinæ meritis tibi nomina chara politæ)
Officium effuſis pangent ferale Camœnis,
Et per ſecla Tua vulgabunt poſtera famam.

A L I U D

SAt curis mundoque datum: meliora capeſſo,
Implicitas turbis non habitura vices.
Principibus placuiſſe viris non infima laus eſt
Heu quàm præclaris inſidiata viris!
Ludificant oculos ſplendoris ſpectra deleti
Sæpe oculta fugax retia tendit honos.
Incautis etenim mendax dum fronte politur,
Blandus & externi proſpera ſpondet amor,
Non obſervatæ gliſcunt diſpendia Larvæ,
Sic mixtas ſpinis ſeminat Aula roſas.
Naufragiis multis effugi nobile ſaxum,
Sirenum cantus nec nocuêre mihi.
Quod potuit præſtare fides illæſa, peregi,
Mandataque ſagax in ſtatione labor.
Diviſêre meo cum Principe tempora Muſæ:
Illi nec quidquam præripuere ſuum.
Abſterſêre graves hæc diverticula curas
O docti, ô læti, mellea vita, dies!
Nondum vicinæ meditabar grata Senectæ
Munia, cum doctis mox obeunda viris.
Parca ſed invidit ſic diſpenſanda ſoluto
Otia, conatus deſtituitque meos.
Vota nihil fruſtrata queror, qui vana per orbem
Omnia dedidici, dum potiora ſequor.
Lucis inocciduæ pleno divina pateſcunt
Atria, ſidereos exhibitura greges.
Hic radiat tenebris exempta ſcientia cunctis
Effunditque ſuos non dubitanda ſinus.

terra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

Terra vale & miſeri Sapientia nubila mundi,
Per circumfuſos lux maleſida ſpecus.
Tuque maritalis pars optatiſſima lecti,
Conjugii per tot pignora, vive memor.
Vos quoque, quos caſtus colui obſervator amici
Hic liceat ſtudii præmia ferre paris.

ISAACUS GRUTERUS.

STANISLAI de LUBIENIETZ LUBIENIECII ROLITSII

ORATIO FUNEBRIS.

In obitum Nobiliſſimi & Ampliſſimi Viri

D. JOAN. ERN. de RAUTENSTEIN,

Domini in Diteldorf, Miniſtri Statûs & conſilii ſanctioris, ac Legati Neoburgici ad Imperii Ratiſbonenſem conventum Illuſtriſſimi.

SI quàm non tantùm mihi exiguæ ingenii ac eloquentiæ, ſed & magnæ ſint amicitiæ vires, quis conſideret, auditores omnis generis Honoratiſſimi, quòd hodie ad dicendum accedam, mirari profectò non poterit. Sacroſancta enim & inviolata amicitiæ jura eſſe oportere, omnis qui & literas, virtutem, hominem novit. Hæc nempe etiam ſunt inter illa virtutis bona, in quæ nil caſui, nil tempori, nil invidiæ licet. Nimirum vis amicitiæ morte non exſtinguitur: quin imò ſublato quoque amico ei ſuperſtes manet, & poſt fata ejus non tantùm imo pectore condita vivit, ſed & in debita officia ſpontè exit. Id virtutis & officii hodie demonſtrare animus eſt, dum Joanni Erneſto Rautenſteinio, Viro meritis Clariſſimo, dignitatibus & muniis Illuſtriſſimo, meo & multorum Veſtrûm Amico integerrimo juſta ſolvere paro. Vivum hîc in mortuo felicis ſolertiæ & virtutis exemplum Vobis dabo. Quamobrem qui huic, qui & defuncto benè precamini, adeſte & favete animis, tempus veſtrum, ut ſpero, ritè & cum fructu collocaturi.

Diverſa eſſe ut ingenia, ita & ſtudia & fata hominum, quotidiè, imò aſſiduò mentis & corporis oculis obverſantia momenta & diſcrimina rerum docent. Hunc anxia macerat invidia, illum ſollicita & inſatiabilis exſiccat avaritia, iſtum indomita fatigat ambitio, vel vecors rapit libido. Advertite, quæſo, qualia ſint iſta! quæ ſcilicet mentis ad laudem natæ tormenta, virtutum obſtacula, imò frigida venena! Quò ruis mortale genus? quò te veritatis cognoſcendæ neglectus, vel cognitæ faſtidium tranſverſum agit? quò vitiorum abripit amor? En quàm urit & depaſcitur ſæva libido! en quàm torquet auri vel gloriæ vanæ ſitis! en quàm, dum luxurias, herbarum inſtar frigidos occultas angues, vitiorum motus metuſque!

\- - - - - - - - quòd ſi
Frigida curarum fomenta relinquere poſſes,
Quò te cæleſtis ſapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc ſtudium, parvi properemus & ampli,
Si patriæ volumus, ſi nobis vivere cari. Horat. ep. l. 1. ep. 3.

Deſcende in temet, qui temet, humanitatem, virtutem, & noſti, & ut par ac neceſſe eſt, amas. Nonne vides, quàm hæc quæ ſectaris, non tantùm fugacia, ſed & fragilia, ſervilia, imò pernicioſa ſint? Quis unquam eorum, qui vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]



IOANNES ERNESTꝰ à RAUTENSTEIN
DNꝰ in Ditteldorf. Sereniſſimi Principis ac Ducis Palatino-Neo-
burgici Conſiliarius intimus: Ejusq; ad S. Cæs. Majeſtatem
et S.R.I. comitia: tum ad Reges Sueciæ et Poloniæ: nec
non ad Electores et Principes Imperij plurimos LEGATꝰ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

ſolam rationem & naturam ducem ſecuti, his vel veram felicitatem & beata hominis vota circumſcripſit, vel operam ac ſtudium addixit? Quis non potius eorum hæc vitiorum irritamenta & fomenta damnavit ac deteſtatus eſt? Qualem te convenit eſſe, quem cæleſtiſſima & ſanctiſſima Chriſti diſciplina ad omnem pietatis perfectionem erudit, & ad omnibus numeris abſolutam felicitatem ducit! Quantoperè verò his delecteris, vel in iis profeceris, cogita! Aliud profectò tot & tanta bella internecina, quæ terra marique geri probus quiſque dolet, loquuntur. Scaturigines horum teterrimorum malorum, quæ tot homines, arces, naves, urbes, provincias obruunt, obturandæ & in imam Erebi abyſſum devolvendæ ſunt. Tolle auri & vanæ gloriæ ſitim, tolle belluinas voluptates: verbo, cupiditates inexplebiles, & cuncta atrocia bella ſuſtuleris. Hæc quòd non tantùm campos & maria, ſed cunctos humanarum ſedium angulos, ipſas quoque ſcholas & eccleſias, quas omnis humanitatis & Sanctimoniæ magiſtras eſſe oportuit, ſtrenuè exerceant, cupiditatibus indomitis imputa. Hæ ſunt, quæ ſævam laudem huic vel illi regno & reipublicæ conciliant, qualem olim Bœotii campi, ut Orcheſtra ab Epaminonda, Epheſus ut belli officina à Xenophonte, & Roma, ut Marcello res in Sicilia præclare gerente, Martis templum, ſecundum Pindarum appellarentur, meruerunt. Ita ab orbe noſtro exſulare juſtitiam, æquitatem & caritatem Chriſtianam ipſi factis teſtamur.

- - - - - nunc aliquis dicat mihi, quid tu?
Nullane habes vitia? immò alia haud fortaſſe minora.

Sic olim Lyricorum Princeps, Satyrico ſale aliorum Suaque perfricans vitia, qui ſe alibi parcum Deorum cultorem pinguem & nitidum benè curata cute Epicuri de grege porcum, dicere non erubuit. Nec ego certè ignoſco mihi, ut apud eundem Mœnius.

Stultus & improbus hic amor eſt dignuſque notari

Nunquam cordato Viro arriſit philautia, ut plurimum obtrectatoribus, cavillatoribus, invidis, delatoribus, ingratis, malefico & abominando hominum generi familiaris. *Sint procul à nobis*, qui foris Lynces, intus talpæ, virtutis hoſtes, exitiali vitio laborantes, & non tantùm ſibi, ſed & aliis noxii. Vidit Ocellus Philoſophorum. Sic enim ille in Cratylo: τὸ γὰρ ἐξαπατᾶσθαι ὑφ' αὐτοῦ πάντων χαλεπώτατον: ὅταν γὰρ μηδὲν σμικρὸν ἀποστατῇ, ἀλλὰ ἀεὶ παρῇ ὁ ἐξαπατήσων, πῶς οὐ δεινόν? Plato.
(Decipi à ſeipſo, omnium deterrimum. Cum enim ſeipſum decipiens, vel minimum à ſe non diſcedat, ſed ſemper adſit ſibi, quomodo hoc non ſit grave?) Vidit & Noſter Rautenſteinius, candoris & modeſtiæ obſervans ac virtutis amans. Ideò illa Horatiana ibidem dicta, *neminem ſine vitiis naſci, optimum eſſe, qui minimis urgeatur*, ſæpius mecum, pro re nata & familiaritate noſtra, repetebat. Multum hìc fateor, natura poteſt, quæ ut virtutum, ita & vitiorum ſemina ſecum fert, & agro, ut ſic dicam, voluntatis inſerit. Ita intellectus hìc, appetitus illìc herbas profert & radices agit ac fruges uterque ſuas, bonam ille, hic pravam conſervare & propagare ſtudet. Hominis eſt DEUM ſupplicibus fatigare precibus, ut ſemina illa mali manu Paternâ auferat, zizania in herbis opprimat, vel etiam quæ ſurrexerint, evellat, agrum cordis ſalutari virtutis ſemente per oracula ſua conſecrat, largâ Spiritûs ſui ſancti aquâ irriget. Nempe ut homo, immortalitatis naturâ appetens, & omnium conſervationem ſui quærentium primus, fructum exſpectatum & debitum ferat, & olim in cælo uberrimam æternorum gaudiorum meſſem faciat. Hoc eſt illud neceſſarium unice à Chriſto Redemtore commendatum. Hoc opus Viri Sapientis & veri Philoſophi, patriam, amicos, ſeipſum verè amantis, verbo: Chriſtiani. Non is DEUM accuſabit, non auctorem mali faciet, quod nec Poë-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

tæ, alias Deorum & figuli & cenſores, facere auſi, Plutarcho teſte. Non culpam ſuam in DEUM referet, ſed eam ſibimet imputabit, accuſator & judex ſui ipſius incorruptus. Novit nempè DEUM naturæ, non culpæ, & omnis boni, nullius autem mali auctorem eſſe. Novit eum impio nec opus habere, nec delectari: imò ideò promiſſa & pœnas aſſiduò homini in memoriam revocare & ob oculos ponere, ut ſe pietate & ſalute ejus gaudere, impietatem & exitium odiſſe doceat, monſtret, teſtetur. Novit, ſi rationem & æquitatem audire velit, naturâ ſe habilem, doctrinâ facilem, exercitatione perfectum in virtute reddi, ſed non ſine divina ope, quam omnibus eum invocantibus, gratiâ ejus paratâ & oblatâ uti volentibus præſto eſſe, meminit, ne hinc deſes, illinc confidens vel etiam arrogans evadat. Medium ſcilicet veritatis & virtutis inter præcipitia vitiorum tenet ille, tàm officii ſui memor, quàm beneficii & auxilii divini gratus. Ideò quicquid Chriſtianus audit videtque, in argumentum divinæ juſtitiæ, ſapientiæ, bonitatis, & incitamentum virtutis ducit, nec alio oculo, ut alia cæli phœnomena, ita præcipuè illa Cometarum rariora & illuſtriora adſpicit. Hinc cum beatitudinis principium conſtituat in eo, ut deſinat à malis, perpetuas ideò & quotidianas agit Sabbathi ferias, nec ulla die *feſtum agere*, negligit, quod tota vetus ſapientia Sacra & profana docet. Aſſiduò noſter & indeſinenti pietatis ſtudio flagrans, nunquam ab officio, ſemper à vitio ceſſat, &, ſi in peccatum ex imbecillitate humana incidat, ſine mora veram pœnitentiam, peccata excutiendo non excuſando, imò dolendo, delendo & linquendo, agit, nec eam, ut pravus permultis laterem lavantibus mos eſt, continuò repetit, vel ad ſupremam horam rejicit. Optimè auguſtus Ecleſiæ Doctor Auguſtinus, non eſſe exſpectandum, donec quis peccare non poſſit, nec tunc demum relinquenda peccata, cum quis ab eis ipſe relinquitur, alicubi docet. O quàm ſalutare monitum, cui ſimilia alibi legere licet, ut & pœnitentiam agamus, dum peccati remiſſio tutò obtineri, & illud relinquamus, dum relinqui à nobis poteſt. Nulla nempè Virtus, ſi peccare tunc nolumus, cum non poſſumus. Neque verò gratiæ divinæ paternæ & ſanguinis Redemtoris medicina in illecebram cupiditatum, eſcam vitiorum, fomentum peccatorum, & ſic in toxicum animæ convertenda eſt, ut fieri aſſolet. Quin imò in nobis caritas DEI & Chriſti, magnetis vim in trahendis efficaciter ad mutuam caritatem cordibus noſtris ſeſe exerentem obtineat, par & opus eſt. Meminerimus ſine caritate nil valere reliqua, etiam Heroica facinora, ipſaque Angelicana dona: ſinè bonis operibus fœtidum eſſe fidei cadaver: ſinè ſanctimonia neminem viſurum DEUM: ſine caſtimonia & integritate vitæ neminem cæleſtis Jeruſalem incolam fore. Pietas, pietas, Auditores, magis nobis eſt commendanda, tùm verò & colenda, utpote ad omnia utilis & utriuſque vitæ promiſſione gaudens. Regalis ſanè & digna Chriſtiano Chriſtiani id nomen Quarti, meritis facilè Primi, illius Danorum AUGUSTI Sententia Symboli vice uſurpata: REGNA FIRMAT PIETAS. Nam & impius Septimius ille ſeverus Imp. apud Ælium Spartianum, firmum ſe imperium filiis Antoniis relinquere, ſi boni fuerint, imbecillum, ſi mali, dicere, ſobriam rationem ſecutus, non dubitavit. Et initium Roboami, tùm integrum Joſaphati, Regum Hebrææ gentis celeberrimorum, imperium, aliaque illuſtria exempla hoc monſtrant & docent. Nec diffiteor multum hîc naturam & parentum genium, mores, exempla poſſe. Notum illud Venuſini vatis

L. de pœnit.

> Fortes creantur fortibus & bonis
> Eſt in Juvencis, eſt in equis patrum
> Virtus, nec imbellem feroces
> Progenerant aquilæ columbam. Horat. Carm. l. 4. Od. 4.

Sed plus hîc rectam inſtitutionem & ſtudioſam induſtriam, plurimum verò Spiritûs divini virtutem poſſe, vel me tacente noſtis. Equidem & voluptarius ille

morum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

morum cenſor & delicatus virtutis magiſter, verèque diſcinctus Veneris nepotulus, ibidem ſubjicit:

Doctrina ſed vim promovet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant.

Sacra pagina generationem naturalem per induſtriam regenerationem, cæleſti auxilio accedente, perfici à nobis debere, paſſim inculcat. Ita *nobis ad arbitrium noſtrum naſci licet*, ut Seneca, & *patres nos noſtrûm ipſorum eſſë poſſe datum eſt*, ut uno ore Antiquitas Eccleſiaſtica docet. Cum igitur multum in eo ſitum ſit, probis & honeſtis parentibus naſci, id beneficii Rautenſteinio noſtro divinitus obtigerat. Quippè honeſto loco & probis parentibus Anno Chriſti 1623. die $\frac{1}{11}$. Octobr. Blanckenburgi in Brunſuicenſi Ducatu natus eſt. Patrem habuit, qui morum integritate & induſtriâ laudabili honeſta meruit officia, quique filium egregiâ indole præditum longè majora ingenio & virtute ac ſolertiâ conſequi docuit. Noſter à puero animum ad ſtudia humaniora appulit, hiſque Bremæ & Regiomonti præcipuè diligentem navavit operam. Exactâ cum laude adoleſcentiâ favore & operâ Patrui ſui Henrici Rautenſteinii, ditioni Vendenſi Præfecti, præclaras genii & ingenii ac corporis dotes ejus ad laudis faſtigium promoventis, inter familiares Aulæ Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Viri Gabriëlis Oxenſternii Comitis, Regni Sueciæ Senatoris & Theſaurarii adlectus eſt. Cum hoc Moſcoviam, Livoniam & alia vicina loca, viam laudis ſemper tenens & terens, peragravit. Ejus favore Joanni Oxenſternio Comiti Illuſtriſſimo, Regni Sueciæ pariter Senatori, & ad Tractatus pacis Weſtphalicæ Oratori commendatus, tractationi illi interfuit, & ad penitiora admiſſus futurarum dignitatum præſidia feliciter ſibi comparavit. Virtutis tramitem in eo quoquè calcavit, quòd & thori vitæque ſociam Mariam Eliſabetam Friſiam, formâ & virtutibus nobiliſſimam Virginem, caſtum conjugii fœdus impuræ vitæ, contra peſſimum multorum morem, præferens, ſibi adjunxerit, & fidem conjugalem, rarum eheu! & hoc ſeculo noſtro in vitia magis magiſque præceps ruente, bonum, amorem concordem, modeſtum, providum, ei ſeptemdecim amplius annis ſervârit. Et fecit quidem hîc quoque officium, licet ſuſceptâ ex amantiſſima ſui conjuge binâ prole maſculâ orbus, nulla amplius amoris pignora, præterquàm in virtute, haberet: Religionem, quantum mihi ſcire datum, tàm eam, in qua natus, ſecundum Lutheri inſtitutionem, quàm Catholico Romanam, quàm amplexus erat, ex animo amavit. Sed de hac re, omnem humanam artem, ſcientiam & potentiam ſuperante, libenter meritòque ſemper judicium Judici ſupremo, Omniſcio & Omnipotenti, relinquo.

Venio ad hæc, quæ ſub aciem oculorum & judicii humani cadunt. In vita noſter pietatem, juſtitiam, temperantiam, tres virtutes cuncta noſtra officia complexas, coluit. Nihil ille magis ſpirabat & curabat, quam *ſeipſum per diligentem expurgare pœnitentiam*, *quod videre licet in hominibus*, *qui ſeipſos illuſtrant virtutibus*, ut inquit Gregorius Nyſſenus, Pater Patrum dictus. Adhæc comitate, humanitate, modeſtia, candore in omnes officioſo omnibus carus. Ego quidem fateor in colendo literarum commercio eum propè inimitabilem & incomparabilem fuiſſe. Pollebat nempè rarâ alacritate & facilitate ſcribendi, ingenio felici, judicio perſpicaci, memoriâ vaſtâ, quæ eximia dona natura, parens alioqui benigna, raro confert uni. Librorum inexplebilis erat helluo, lectioni bonorum Auctorum dies nocteſque deditus, & hâc non tantùm tempora metiens, ſed & forenſium laborum moleſtias, imò & dolorum ictus & graves corporis morbos, velut ſuavi recreatione diſtinguens. Tot præſtantes animi & ingenii dotes Rautenſteinium, neceſſariis vitæ, non tantùm cum laude, ſed & in magiſtratu agendæ præſidiis inſtructum, ideòque multis Illuſtriſſimis tum Principibus Viris, carum, reddiderant. Provincia ei prima Præfecti Pephſumenſis in Friſia Orientali: altera Cancellarii in Aula Sereniſſimi Principis Pa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

latini Sultzbacenſis Chriſtiani Auguſti, integro biennio geſta obtigerat. Tertia Legati Electoralis Bajoari ad Auguſtum Imperialis electionis Francofurtenſem Conventum ſplendidiſſimi fuit. Tandem operam ſuam Sereniſſimo ac Celſiſſimo, nec tantùm genere & dignitate, ſed & virtutibus ac meritis principi Philippo Guilhelmo Comiti Palatino, Duci Neoburgico addixit. A quo ſecretioribus Conſiliis & negotiis ſtatûs, tùm illuſtriſſimis legationibus in Aula Cæſarea, Conventibus Imperii, tùm Polonia & Suecia obeundis adhibitus, poſtquam ubivis gentium fidem, dexteritatem, prudentiamque tàm amplo muneri convenientem probaſſet, in reditu è Suecia fidei & operæ Magno Principi debitæ, immortuus eſt. Utinam illi DEUS reditum ad me conceſſiſſet! Conſtituerat enim in hac urbe curandæ valetudini dare operam, & tecto meo uti, deque ſtudiis utriuſque noſtrûm ad ſatietatem agere. Tunc de colligendis & edendis ejus poëmatis, epiſtolis, aliiſque operibus cum eo egiſſem & aliquid certi conſtituiſſem. Noveram enim ei literarum commercium ampliſſimum cum Illuſtriſſimis quibuſque & Clariſſimis Viris de rebus magni momenti interceſſiſſe. Quæ ſanè publicæ ut luci committenda, ita utilitati danda erant. Sed cum aliter DEO viſum fuerit, & Rautenſteinio, dum Hamburgum anhelat in vicinia, Chilonii ſcilicet finem vitæ, & me pro Rautenſteinio deſideratiſſimo exuvias Rautenſteinii poſt paucos dies accipiente, ejus arbitrio hîc quoque nos ſubmittamus oportet. Quid plura vultis? Auditores, Rautenſteinius non tantùm ad fatalem vitæ, ſed & ad illam illuſtrem gloriæ ingenio & virtute partæ metam pervenit. Vivit tamen ut DEO Creatori, ita & in omnium noſtrum animis, & quam ſibi magnis meritis paravit, proſperam ſui memoriam, ſemper retinebit. Mea quoque, ſi quid valent, non patientur Virum laude dignum mori: imò quantum Virtuti, literis, amicitiæ & publicæ utilitati quiſque debeat, teſtabuntur. Hæc niſi in promtu eſſent ſolatia, morte tanti Viri & tam cari capitis meritò dolerem. At habuerit noſter aliqua vitia, commiſerit errores, lapſus fuerit. Talia noſter cum Poëta & ipſa veritate nævos in pulchro corpore vocabat, benignè toleranda, ſolerter tollenda, quà datur. Et certè ubique hæc bonorum & malorum mixtura elucet, & ſe, ſæpè quoque proprio indicio, prodit. Quod cum experientia aſſidua confirmet, tùm verò & inſignis auctoritas Plutarchi, optimi profectò Scriptoris, & Euripidis Clariſſimi Poëtæ Tragici docet. Ille enim poſtquam retulit, Homerum vale longum Stoicis, neque virtuti vitium, neque vitio virtutem adeſſe cenſentibus, ſed omninò inſipientem peccare, ſapientem rectè agere contendentibus dixiſſe, [L. de aud. Poëtis.] *Hæc ſanè*, inquit, *in Scholis audiuntur. At in rebus ipſis vitaque communi, ſicut Euripides ſenſit* οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακά (*Mixtura quædam eſt, ſine malo* [Ovid. 1. de remed.] *nullum eſt bonum*) *Et mala ſunt vicina bonis*, liceat cum Ingenioſiſſimo Poëtarum Naſone dicere. Sicut autem vitium virtuti, ita infortunium proſperitati aſſidet, certè inſidiatur ex propinquo, ſæpèque ut ibi virtus, pro vitio vapulat, ita hîc bonum pro malo reputatur. Quanquam & nil verius eſſe per omnia lætorum & triſtium mixturam, & tam hæc illis, quàm illa iſtis vicina. Et accidunt quidem bonis quoque Viris triſtia: ſed ſunt ei in promtu læta ſolatia non tantùm ab exercitio, (quod ſolum nec imbecillitati humanæ ſufficit, nec rationi ſatiſfacit) ſed & à præmio virtutis petenda. Quamobrem quiſque noſtrûm ſtudeat, ut veram & genuinam virtutis rationem cognoſcat & conſequatur, & alteri eandem (ut omne bonum naturâ ſuâ libenter ſe diffundit) dictis & factis commendet. Hujus egregium exemplum vivat in animis noſtris & ſeræ poſteritati commendetur RAUTENSTEINIUS.

Lectori Salutem.

Cum Gruterianum reſponſum tardius ad me perlatum fuerit, & tàm meis quàm ejus literis contenta hùc potiſſimum reſpiciant, hîc potius quàm alibi, quod reliquum eſt communicationis noſtræ epiſtolicæ, viſum eſt apponere, ut

ita

ita Rautenſteinianæ memoriæ conſecrata augeantur. Tu hæc, & cuncta, boni & æqui conſule. Vale.

Hamburgo Roterodamum die 19. Octobris 1666.

NOndum pleno reſponſionis ad priores literas Tuas officio ritè functa erat mea induſtria, multiplicibus iiſque continuis laboribus impedita, & ecce nuper gemino literarum, diverſo tempore datarum, junctim tamen ad me miſſarum officio, Tuum me debitorem feciſti. Sed ecce diſſolvi me, Tibi ut paulum vacarem & quæ debeo, diſſolverem, licet te non ſeverum officiorum exactorem expertus ſæpius fuerim. Equidem quid prius in epiſtolis tuis, curam ne an modeſtiam ſcriptionis, vel officioſam benevolentiam vel religioſam legum amicitiæ, etiam demortuis debitæ, obſervantiam, laudem, neſcio. Ita cuncta pumicæ humanitatis expolita nitent: ita ad omnes Gratiarum leges facta ſunt, ut non tantùm excuſationem & veniam, ſed laudem potius, & exempli auctoritatem, & poſterorum memoriæ gratiam mereantur. Quapropter quod Tibi Epicedion hoc tàm pium, quàm doctum precibus & rationibus juſtis extorſerim, nunquam me pœnitebit. Imò vero, niſi me omnia fallunt, de communis Amici bona exiſtimatione, de Vidua & neceſſariis, tùm verò, quod maximum eſt, de publica re optimè me meritum hac ratione credo. Vivis enim coloribus mortuum Rautenſteinium, & in eo vivam Sapientis imaginem depinxiſti. Placebit iſta, utilis certè eſt, cunctis in Aula verſantibus; qui utinam hæc, quæ ad eos ſpectant & attinent ſua dico officia, in memoriam ſibi revocent, & faciant, quum adeò diligenter curent aliena, ut ad alienum dormiant ſomnum, ad alienum comedant appetitum, ad alienum ambulent gradum, ſicut tàm Sapientia vetus, quàm aſſidua experientia miſeram hujus generis hominum conditionem eſſe docet. Sed niſi omnes, vel multi, qui in Aulis degunt tàm ſalubria exempla & monita curent, erunt tamen, qui curabunt, &, ſi vel nulli eſſent, Tibi tamen ratio benefacti probè conſtaret.

Benevolentiæ pulcherrimum eſt certamen.

Officii nemo niſi ingratus eſt.

Gruterianis meritis debitum teſtimonium Auctor dat.

Sapientis viva imago in mortuo Rautenſteinio à Grutero exhibita.

Aulici officia pietatis plerique negligunt,

Plus alienis quàm ſuis commodis veris dediti.

Vivet ſaltem & hominum ore celebrabitur Rautenſteinius in exemplum noſtro ſeculo & poſteris propoſitus tàm amica manu, tàm terſo ſtilo, tam candido affectu. Nempe tua.

Rautenſteinius in boni & laudati Viri exemplum proponitur:

Dignum laude virum Muſa vetat mori.

Noſtra quoque, ſi quid unquam valebunt, bonum hocce nomen ab injuria oblivionis vindicabunt, & Virum eruditionis multa & virtutum laudibus præclarum, poſteris imitandum commendabunt. Conſtitui verò apud me hæc Tua & aliorum Amicorum Carmina & epitaphia ad calcem operis, cujus in fronte nomen ejus eſt conſpicuum, adjicere, & in frequenti Senatu meo Philoſophico funus tanti Viri & tanti Amici habitâ oratione efferre. Qua ratione teſtabor etiam poſteris, quanti Virum hunc egregium, quem tot boni amârunt, coluerunt, fecerim, & quàm amor in eum meus cum eo non ſit mortuus, quantaque animi conſtantiâ amicitiæ jura ſervanda ſint, ne ſcilicet hoc religioſum ſtudium in ſepulchrum cum Amicis deſcendere cumque iis terra obrui putemus. Nobiliſſima vidua Rautenſteiniana, cui dolorem Tuum ex obitu mariti conceptum, indicavi, gratum dubio procul habebit officium Tuum, licet aliquantò ſeriùs. Hîc jam metam figo, aſſiduis diſtractus laboribus, Teque benè valere cupio.

Cujus memoriæ dicata epitaphia & carmina ac orationem funebrem Auctor ad calcem operis addidit.

Amicitiæ jura conſtanter ſerva.

Mortuorum ut memoria grato animo proſequenda, ita exempla virtutum imitanda ſunt.

Hamburgo Roterodamum die 18. Februarii 1667.

NOn miraberis, credo, me tamdiu ſiluiſſe, cum & ipſe ſileas, nec ad poſtremas meas die 19. Octob. anni decurſi datas quidquam reſponſi retribuas.

Silet quandoque literarum commercium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

Heinſius Hamburgum venit. Gruterus officioſus & humanus.

tribuas. Nobiliſſimus Heinſius, qui nuper in hanc urbem venit, cum mihi nudius quartus adeſſet, inquirebat in Tuas literas. Te enim, prout officioſus es in amicos, ad ſe vel me aliquid ſcripturum fuiſſe ſperabat. Acuit haud ita pridem ejus deſiderium Tui reſponſi promiſſum, quod Adamo Franco, communi Amico, feciſti: Is hoſpitalitatem Tuam & erga me benevolentiam mirè deprædicat. Quo nomine & ego multum Tibi debeo. Paullum otii nactus perfecto opere meo, ad finem properante, juvante DEO, dabo operam, ut ex ſcriniis Ruarianis exempla Grotianarum epiſtolarum habeas, quò laudabilem Tuum conatum, publico profuturum, juvem. Huic & in opere meo, debitum tribuo teſtimonium, memoriæ communis olim amici Rautenſteinii. Id oratione, cujus autographum Tibi mitto, Tuoque exacto judicio ſubmitto, teſtari animus eſt. Inſerui hîc non pauca ſacra & profana ex induſtria, ut probitatem morum hôc tàm illuſtri exemplô commendem, quo ſtudiorum genere noſter, ut noſti, delectatus eſt. Non celabis me judicium Tuum, quod ſincerum ab amico pectore exſpecto. Crede autem me heri præſente Nobiliſſimo Heinſio inſignem Tuam humanitatem Illuſtriſſimo Iſbrandio Fœd. Belg. Oratori ex Suecia redeunti commendaſſe. Vale & mihi conſtanter fave.

Grotii epiſtolas ad Ruarum Grutero Auctor promittit. Orationem funebrem in obitum Rautenſteinii Auctor cenſuræ Gruteri ſubmittit.

Roterodamo Hamburgum XII. *Martii* CIↃ IↃC LXVII.

QUæ transmiſſa ad me voluiſti ab aliquo tempore, in iis rectè curandis præſtita religioſè fides eſt. Id ut me auctore edoctus cognoſcas, hoc epiſtolici ſermonis compendium accelero, necdum promiſſi exolvendus vinculo, & ad poſtremas Tuas reſponſo impar, otio repugnante, quod plurima aliquot intra menſes cumulata accîdunt: ut officiorum in amicos vices interſiſtere cogantur. Sic & tibi ea debere ad tempus pergam, quibus ritè defungi ex rerum merito & animi iſtùc anhelantis deſiderio copioſè nunc per feſtinationem haud licet, hæc Tibi qualicunque impertienda modo ſuffurantem importunis occupationibus, & inter ignobilia auſterè detentum conſtringentibus. Finem non ita ex longinquo proſpicere videor: aut ſi tàm fauſti eventus præcepta ſpes fallit, tædium vincente patientiâ, incidam cum Alexandro nodum, per obſcuras ſe implicantem ambages, & velut ex Epicurei ſeceſſûs intermundii chartas ſibi ob trudere certum eſt tertiam quoque manum oneraturas. Stilus enim per omnia longo aucta ſilentio, ad tuas iteratas circumducendus, tarditatem ex quodam negotiorum fato penſabit liberalitate calami in reſponſa, reconditas hactenus cogitationes peramanter amplexura diffundendi. Vale, Vir Optime, & Orationem more canis ad Nilum delibatam, mox ſeriò & quâ par eſt attentione expendendam priuſquam redeat, patieris apud me deſidere, morâ nihil in profuſam humanitatem habiturâ iniqui: ut ſpero.

Occupati ſilent vel pauca ſcribant. Impedimenta fortiter remove. Silentium & brevitatem ſtilo uberiori penſa.

Roterodamo Hamburgum proprid. Kal. Maji CIↃ IↃC LXVII.

NOn immorabor dicendis ſilentii, quo uſus ſum longiore, quàm vel meus fert mos, vel tua permittunt merita, cauſis: cum eas nupera delegatas pertulerit epiſtola. Neque debeo videri puſillam in humanitate, ad omnem formatâ æquitatem, habere fiduciam, anxiè excuſando, in quod me compegit fati cujuſdam non expugnanda neceſſitas, cunctari non ſpontè ſolitum, ubi amicitia jus ſuum flagitat, nec ſeverum officii exactorem; quo velut anima viget familiaritatis è longinquo exercendæ corpus: ſi in Viros incidi variè occupatos. Ab iſtis vicem ſperare poſſum leniſſimæ interpretationis, ſi fortuita imperioſè irrumpentia non ſatis validus conor repellere. Patrocinantur leges infirmitati non ſpontè peccanti, ubi vis major ingruit, pervertitque conſtantiam propoſiti tenacem. Sic tacere coactus binas elicui Tuas: alteras laudibus amplas pietatis, quam in Rautenſteinium defunctum accendit amor, non

Neceſſitas neglectum officium excuſat. Officia amicis citò præſta. Æquus in exigendis officiis eſto. Infirmitati peccantis ignoſce. Rautenſteinio mortuo præſtita ab Auctore pietas Grutero placet.

ille

ille lento flagrans affectu, ſed quem plurima & compertiſſima deſidem eſſe vetabant beneficia.

Gruteri modeſtia.

Huic ſtudio genium temporis exoſo, multa affectatè molientis, nec pauca fingentis ſpecioſa, ſi quid adjecit poëſis, nunquam mihi culta feliciter, haud ſpernendum Cenſoribus ſupercilii pondus non adferentibus ad lectionem, dicam carminis iſtius impetum viguiſſe occulto beati numine, & hinc infuſos verbis in metri vincula coëuntibus ſpiritus; quos ex ſe author non habet. Si tibi tuique ſimilibus, non ignorantibus quid ſit amor, ex epiſtolico natus commercio & laudatiſſimis virtutibus, probavero funebre poēma, nihil ultrà deſidero, ſatis tutus adverſus ea, quæ in artem peccaſſe dici poſſunt.

Amicitiam ſolers cole.

Alteris tuis acceſſit oratio, iiſdem conſecrata manibus, & ex illuſtri monſtratura loco, quàm altè aſſurgat eruditio pietatis inſtructa ſatellitio. Occurrunt ibi paſſim multa optimæ frugis pleniſſima ex lectionis ad vitam ritè inſtituendam comparatæ facundo promptuario, nec facilè reperturo damnantem, niſi qui veritatis ibi diſſeminatæ ſpinis compungitur, & ad omnem ſublimioris philoſophiæ ſcholam obſurdeſcit; cum aures ſuas radi non patiatur mordaci vero: Quiſquis ex tali eſt hominum genere, volet cenſeri indole magis ad aulicas expolitâ ſtrophas: quæ cum decantatis à te virtutibus non conſiſtunt. Sed aliud eſt dare auribus temporis ſui accommodata; aliud ex perſpecta rerum natura ſtructuram orationis, fucum reſpuentis & profuturæ, exempla conſectantibus probanda & rectè inſtitutum tuum arbitrantibus.

Orationem Auctoris in obitum Rautenſteinii Gruterus approbat.

Pietatem eruditioni adjunge.

Veritatem oderunt vitiis dediti.

Aulici plerique virtutum ſunt negligentes.

Judicia hominum varia.

Ad primum de morte Viri Amiciſſimi nuntium obverſabatur animo meo Idea encomiaſtici argumenti, quæ inter ipſas evanuit cogitationes, cum in alia diſtraherer: poſteaque factus paulò magis mei juris, ſepoſitâ ſtili oratorii libertate, numeris me adſtrinxi poëticis. Et nunc ne quid ſoluti ſermonis in iſta tentem materia, obſtat pietatis tuæ exemplum, ritè & rectè funebri perfunctæ officio, ut Rhetoricæ meæ ſilentium imperare debeam: ne ſumptâ temerè fiduciâ audiatur poſt præconis vocem varias adferentis ſcientias ad inſtruendam laudationem celeberrimarum virtutum.

Gruterus iconem Viri ſapientis in Rautenſteinio monſtrare ſtilo oratorio volebat:

Cur id ſtilo Poëtico fecerit:

Quæ ſpondes Grotianarum ad Ruarum epiſtolarum apographa, exſpectabo, ubi per tuas licebit occupationes, vicem redditurus benevolentiæ; qua curis in iſta ſylloge adornanda multiplicem expertis fortunam propitium ſidus affulges, ad poſteritatem quoque diffuſa conatûs, non id encomium meriti, commendatione. Symbolam exſtruendo operi ſuam quoque deſtinat, qui epiſtolas nuper Barlæi edidit, conciliaturus porrò mihi, adjumenta undique conquirenda conferre validos.

Epiſtolas Grotii ad Ruarum ſcriptas ab Auctore exſpectat:

Omnes in unum faſciculum colligere & edere volens:

Noluit hanc pertranſire urbem Heinſius, niſi me ad colloquium excito: breve quidem, cum & ſera interpellaret veſpera, & in cœna, cui me adhibitum voluit hoſpitem, ſermones in commune ſparſi; ſed quod prolixus utrinque affectus coram vel per literas (ſi iſtud negabitur) fuſius extendet. Atque adeò prætentavi viam, quæ utrique congreſſui favebat eo apud Haganos reperto. Quos enim olim apud affinem illius irrito moliebar ſucceſſu, meæ relictus opellæ, videbo an interpoſitus efficiet pararius, feliciuſque ſollicitabit ſcrinia, in quibus ſervari ſcio propè centuriam epiſtolarum Grotii ad Heinſium patrem: qui promiſſam mihi, cum per epiſtolicum honorificâ parentis mei recordatione plenum Hagâ Leidam evocaſſet, morte præventus non exhibuit.

Compellat Heinſium Roterodami:

Ab eo conſecuturum ſe Grotii ad Patrem ejus epiſtolas ſperat.

Si iſta clauſtra perfregerit amicè Suada Filii (cujus peregrinationes fecerunt, ut tenaciſſimis inhæreant affinis manibus iſtæ chartæ) videor ab Iſaaco Voſſio impetraturus, quæ parens ejus Grotio reſcripſit, Vir occupatiſſimus, atque ideò ſæpè familiarium officiorum negligens, & rebus duntaxat, etiam in epiſtola, tractandis intentus.

Voſſius pater laudatur.

Pax ut multorum ſtudiis apud Fœderatos Belgas & Anglos expetita fuit, ita nunc videntur utrinque eò inclinare plurima. Hæc tamen omina non pauci inter ſuſpectos & ſuſpectantes trahunt in partem contrariam lævis interpretamentis: ut fieri ſolet, ubi affectibus indulgetur pugnantia ſuggerentibus: cum nec deſint, qui bello faveant, ſumptis obtentui ſpecioſis. Sed conſiliis cruenta damnantibus odia adſit auxiliator Deus; qui armatis etiam hoſtibus detrahere poteſt ferociam, & occulto animorum

Pax Anglica ſperatur.

Suſpicaces iniquè de rebus judicant.

Bella multi cupiunt.

Deus autor pacis.

ductu

ductu compellere in placidum fœdus. De Polonia nonnihil ad me Francus noſter: quibus ſi quid tempus adjecerit notandæ mutationis, impertire non gravaberis, quando ſolutum liberumque animum adferre poteris ad hæc diverticula. Vale.

Hamburgo Roterodamum Kalendis Majis Julianis 1667.

ACceptis haut ita pridem binis Tuis humanitate refertis litteris, duplici nomine me Tibi, Clariſſime Grutere, obſtrictum eſſe, fateor. Ad priores quæ prodromi vice fungebantur & prolixiores mentis benevolæ internuncias brevi adfore pollicebantur, antequam hæ advenissent, reſpondere nolui: ad poſteriores, quæ octo ab hine diebus comparuerunt, per continuos & graves labores circa finem operis mei Cometici ſubeundos & exantlandos, reſpondere è veſtigio non potui.

Leges reip. literariæ, amicitiæ & æquitatis.

Sed, quod benè ſcio, his legibus reipublicæ literariæ & amicitiæ ac æquitatis vivitur in orbe, ut dilati officii, vel etiam ſilentii, minimum breviloquentiæ veniam petamus demuſque viciſſim. Lubens accepi, Te non tantùm chartas meas accepiſſe, ſed & gratas acceptaſque habuiſſe.

Gruteri encomia.

Teſtantur id laudes, quas pleno horreo, quod dicitur, mihi tribuis ultra meritum. Sed hæc Tua eſt conſuetudo & laus, ut quemadmodum apprimè doctus & ſanctus es, ita & officii plenus & ſtudioſus meæ laudis (quod olim Cicero Attico ſuo laudi dabat) ſis, tàm propter laborioſum opus, quod tracto, & jam ad optatum finem hâc ipſâ epiſtolâ per DEI gratiam perduco, quàm propter candidam & niſi mecum non morituram ergà mortuum communem Amicum Rautenſteinium benevolentiam.

Auctor operi laborioſo ultimam manum imponit.

Qua in re multum Te meæ & Rautenſteinianæ amicitiæ dare, fateor. Verumtamen nec hoc diffiteor, me, cum me tantis laudibus ferendis imparem agnoſcam, has ſtimuli mihi ſubditi amicâ manu loco ducere, & nihilo ſegniorem in ſtudio honeſti verique reddi.

Laudatio ab amico profecta ne te inflet, ſed ad ſectandam virtutem excitet.

Oratio mea & alia memoriæ Rautenſteinianæ conſecrata, ſed & cuncta mea ſolam candoris in virtute & amicitia conſtanter colenda laudem appetunt, eaque contenta ſunt. Hanc me jure bono poſtulare & exſpectare, niſi me omnia fallunt, judico.

Candidus in virtute & amicitia conſtanter colenda eſto.

Quòd ſi etiam mediocri induſtriæ & exiguæ facultati bono publico devotæ aliqua laus obtigerit, in lucro deputabo.

Laudem juſtam Vir bonus lucratur.

* Libertatem meam, quâ in dicendo, & corrigendis erroribus vitiiſque utor, veri & recti amantibus fore gratam, ſolidè ſcio. Hanc tamen, ipſô quoque modeſto cultu & candore delicatis ſeculi in pejus quotidiè ruentis, utpote in malo jacentis eique incumbentis, auribus & oculis mollibus gravem, ideoque invidiæ obnoxiam fore, meritò vereor.

**Libertas dicendi bonis omnibus grata: vitiorum amantibus gravis.*

‡ Uſum me eâ in deſcribendis, præcipuè noſtro olim Rautenſteinio Tibique, patriis rebus eſſe, lubens agnoſco. Sed in eo me officium boni amici & boni Viri feciſſe, modeſtiam ſervaſſe, pietatem erga patriam recti conſilii magis quàm externi auxilii egentem probaſſe, manes Rautenſteinianos Tuamque, Optime Grutere, fidem appello.

‡ Polonicas res in hoc opere Auctor convenienti, imò debitâ & neceſſariâ libertate deſcripſit:

Id verò hîc quoque in calce operis, prout & in fronte feci, meritò pono, ne quis mihi eo nomine, multo verò minus Fratribus meis (quorum nomine nihil, privato cuncta ago) ſuccenſeat.

Suo tamen non Fratrum nomine.

Equidem ſubvereor, nec id quidem temerè, multas nos officii partes invidiæ metu & prudentiæ obtentu negligere. At enim officio noſtro, præſertim ubi de dando veritati & innocentiæ afflictæ teſtimonio & ſalute proximi ſtudio candoris promovenda agitur, nihil nobis debere eſſe antiquius, certo certius eſt. Cogitandum verò & illud eſt:

Invidia officio non obſtet.

Veritatem tueare.

Salutem alterius cura.

Invidiam placare paras virtute relictâ
Contemnere miſer.

Grotianas epiſtolas ſecretiores Gruterus publico parat.

Laudo itaque, mi Grutere, ſincerum Tuum in edendis Grotianis, etiam ſecretioribus & clauſtra tenebrarum ægrè hucuſque ferentibus, ſtudium. Qua in re promiſſa debitaque mea induſtria Tibi non deerit, dummodo laborioſum

opus

opus meum abſolvam. Quo facto me Hiſtoriam religionis Eccleſiaſticam & civilem reſumturum ſi vivo, certus eſto. Verumtamen hiſtoriam Henrici Valeſii ab Illuſtriſſimo Fredrone, qui ſingulare patriæ noſtræ ornamentum dici meretur, conſcriptam, licet huic propoſito neceſſariam, munus ad Te mitto, adſcripto & elogio*, quod Auctoris laudibus cumulandi meritis laudatus toties & ſemper laudandus Rautenſteinius olim noſter dederat. Hoc Tu perenne amicitiæ noſtræ μνημόσυνον gratus accipies, illudque & unà conſtantem benevolentiæ affectum, mihi ſervabis. De pace Britannica quod addis pergratum eſt. Omnium enim vota terra marique eam depoſcunt. Spero itaque nos omnes veſtræ patriæ totique Reipublicæ Chriſtianæ hanc pacem lætam & utilem gratulaturos, ſicut eam cum Moſco nuper initam noſtræ vos gratulamini. Non deeſt ſpes omni ex parte eam patriæ noſtræ redditum iri, dummodo avitæ libertatis reſtituatur æqualitas. His etiam exemplis docemur læta quoque & bona ſuccedere Cometarum apparitioni, licet nuperrimi peragrârint ſigna, quibus tot regna, reſpub. & urbes, quæ vel conſtanti gaudent pace, vel eam nuper conſecutæ ſunt, vel exſpectant, Aſtrologorum ſubdidit licentia. En verò Tibi xxx rationes meam ſententiam confirmantes. De quibus libenter Te judicantem audiam. Vale, mi optime atque optatiſſime Grutere, age proſperè in annos plurimos, mihique, ſi mereor, conſtanter fave.

Hiſtoriam religionis Auctor reſumere decrevit.
Fredro Caſtell. Leopolit. laudatur.
* Vid. p. 92.
Rautenſteinii laus.
Pax Britannica optanda.
Pax Moſchica optata.
Auctoris pietas ergà patriam.
Cometis læta quoque ac bona ſuccedunt,
Etiam in regionibus quas ſubjecerunt Aſtrologi ſignis quæ Cometæ percurrunt.

Tuus omni ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

DEO
OMNIUM MORTALIUM CONSERVATORE IMMORTALITATIS DISPENSATORE VOLENTE
HIC QUID FACTUM PAUCIS
VIATOR ACCIPE ET MORTALITATEM TUAM AD MEMORIAM REVOCA.

HEU

JOHANNES ERNESTUS
DE RAUTENSTEIN

UTRIUSQUE DITTELDORFI DOMINUS

DENATUS EST
QUONIAM
NATUS EST.

OPTIMO
REIP. FULCRO DUM
VIVERET OPTIMO LITERARUM
STATUMINI
DUM VIGERET OPTIMO MONUMENTO MEMORIAM
FULCIRE LAPIDE PERENNI FAMAM
STATUMINARE PAR
ERAT

AH
AD EXTEROS
LEGATUS
EXTRA
MUNDUM
PROFICISCI
MALUIT
QUAM AD
SUOS REVERTI.

SACRUM
HUNC CIPPUM CIPPO MARMOREO PERENNIOREM MERUIT MERITO RAUTENSTEINIUS SERENISS. COMITIS PALATINO-NEOBURGICI QUONDAM MINISTER MUSARUM PATRONUS VIRTUTUM EXEMPLAR EX SEPTENTRIONE REDUX KILONI HOLSATORUM CUM IN ANNO cIↃ IↃ CLXVI. ANNUM XLIV. AGERET ANTE DIEM V. KALENDAS JUNIAS PLACIDE DEFUNCTUS CUI ANTE QUAM VOCE VIVA AVE DICERE LICUIT EXTREMUM VALE OCCLAMARE DEBUIT
PAX KILONIENSIS
ILICET.

MAXIMO PRINCIPI IN VITA QUI PROFUIT MAJOREM DOMINUM POST MORTEM ADEPTUS EST.

VÆ
SERENISSIME PHILIPPE WILHELME RAUTENSTEINIUM TUUM QUIDEM EXCEPIMUS ANIMAM IMMORTALITATI REDDIDIMUS CORPUS MATRI SUÆ NP. PATRIÆ TERRÆ REMISIMUS MEMORIAM VIRI MEMORIA DIGNI PRÆCEPIMUS SIC JUBENTE DEO SUUM CUIQUE TRIBUIMUS.

Epicedion cippo Rautenſteiniano ſubjiciendum.

PLumbea ſi quoquam mihi fluxit tempore vena,
 Et tetigi abſurdâ diſſona fila manu,
Turpe chaos metri, perturbatoſque canendi
 Nunc mihi ſuppeditet perfida Muſa modos,
Occidit Aoniæ celeberrima deſtina plebis:
 Quid dicam? cecidit Flos, oculuſque ſui
PRINCIPIS, & Magnæ LUX RAUTENSTEINIUS Aulæ,
 Ingenio pariter, judicioque valens:
Ille tot Heroum ſpectator, & Advena Regum,
 Cujus ſed fuerant Corda tumore procul,
Occidit, & rebus ſummâ cum laude peractis,
 Quarum belli potens Holmia teſtis erat,
Languida lethifero ſubmiſit membra ſopori:
 Nec, Patrios Ipſum poſſe videre lares
Ampliùs, eſt viſum velut iraſcentibus Aſtris:
 Quin aliud placuit, qui regit Aſtra, DEO.
Fortè per abruptos iter (heu lacrymabile) Montes
 Fecerat, & celeri lapſus ab axe rotæ
Huc tulit efflandam concuſſo è Corpore mentem:
 Hæc fuerant diræ ſemina prima necis.
Non ſic ventoſa Ponti bacchantis ab unda
 Ullo contremuit tempore jacta ratis:
Fulmina, cum ſtreperis permurmurat Ignibus æther,
 Raptu non adeo præcipitante ruunt,
Quàm celer effrænem comitata ruina quadrigam
 Excidium celebri contulit uſque viro:

Proh

Proh dolor! at Fati hic fuit obſcuriſſimus ordo.
Quis ſcit, quas nobis ſors inopina minas
Nectat, & extremam pariat crudelior horam?
Nec tonitru ſemper Culmina ſumma ferit.
Interea placidam vovendum eſt oſſibus herbam:
LUBNECIUS famæ ſecula mille dabit.

l. m. q. ſcribeb. Kiloni.

Johann. Daniel Major, D. Anatomes ibidem & Botan. Prof. P. & h. t. Facult. Medicæ Decanus.

Exemplum literarum ad Nobiliſſimum & Clariſſimum Nicolaum Heinſium *Fœd. Belg. in Aula Suecica Oratorem Ordin. datarum.*

Hamburgo Hagam Comitis die 12. *Apr.* 1667.

SAlvum Te & incolumem patrios ſalutaſſe lares, ex animo Tibi gratulor: faſciculum verò meum à Te rectè curatum, gaudeo, Tibique eo nomine gratias ago. Manibus pedibuſque ad finem operi imponendum contendo: & abolutis intra aliquot menſes, juvante DEO, figuris omnium Cometarum, quorum motum & vel ſitum hiſtoria prodit, ſpero opus abſolutum iri, cum uterque tomus ad finem brevi ſit perducendus, & nil niſi Theatri Cometici exitus, ſive de ſignificatione Cometarum reliquum ſit. Sed hæc non adeò multa ſunt: multa tamen ſcitu & examine diligenti digna continet. Cujus rei ſpecimen videbis in iſtis xxx rationibus, quibus ſententiam meam affirmavi. Has velim Viris Clariſſimis Voſſio & Hugenio (à quibus Te proxenetâ reſponſum brevi me accepturum eſſe ſpero) ac Bullialdo communices, ut judicia eorum de hoc argumento cognoſcam. Difficile quidem eſt, fateor, in tanto & rei incerto, & ſententiarum diſcrimine ſatiſfacere multis, idque Vobis, Viris in Republica literaria Maximis. Volui tamen tàm ſublime, ſolidum, æquum ſubire negotium, eique me ſubmittere. Nam & doceri me à Vobis Viris Doctiſſimis, mihi laudabile, publico utile; & Vobis me diſcendi avidum quæ recta & commoda ſunt docentibus, non erit inglorium. Adjungo Carmen Clariſſ. Kirſtenii (apud quem nuper Tui mentionem feci ſicut Tu ejus apud me præſens feceras) quod mihi is heri obtulit, & in eo laudes nimias, Tuo ſanè exemplo, contulit. Vale, Amiciſſime Heinſi, ac mihi conſtanter fave.

Reſponſum Clariſſimi Heinſii ad has litteras datum Haga Comitis XXIII. *Apr.* MDCLXVII.

EX quo à vobis ſum digreſſus, Vir Nobiliſſime, cum varios amicos in via ſalutavi, ac in his, Principem Paderbornium undique humaniſſimum, qui totum pœnè octiduum mihi abſtulit, tum alia moram in itinere haud immodicam objecerunt. In patriam ut adveni, amicis ac cognatis partim ſalutandis, partim componendis rebus privatis totus vacavi, nec hactenus me expedio. Ita factum ut vix proceres noſtros viderim aut ſatis pro officio ſim veneratus. Interim binis tuarum factus opulentior, non putavi è re mea eſſe, ut tàm comi colloquio ruſticam taciturnitatem reponerem; etſi viderem paucis omnino tecum mihi ob occupationes, quas dixi, continuas fore agendum. Tuas, quas ad Chriſtianum Hugenium meæ fidei crediderας perferendas, Conſtantino ejus fratri diu eſt quod in manus tradebam. De Cometis ſcriptum tuum

in Gallias ad Capelanum propediem miſſurus ſum, ut cum Viris rei Mathematicæ peritis illîc communicetur. Vale.

Excerptum ex ejuſdem literis ibidem XXIV. *Maji datis.*

AD binas tuarum reſponſum me debere video: quo in officio ſi tardiores æquo nonnunquam deprehendimur, occupationibus privatis, quæ nunc ſolito denſiores circumſtant, id adſcribi par eſt, nam ſtudium rerum tuarum nunquam deſiderari in nobis patiemur. Alteræ tuarum, quas innuebam modo, ſexto menſis hujus, alteræ decimo ſeptimo die exaratas ſe fuiſſe teſtabantur. Voſſio jam aurem ſæpius velli ſuper reſponſo, apud quem epiſtolam tuam vidi. Promittit is quidem partibus ſuis ſe propediem velle defungi; ſed timidè promittit, tanquam qui vix credat hîc ſibimet ipſi. Lentè enim illum procedere ad certamen epiſtolare, jam puto non ſemel ex me reſciviſti. Sed & Conſtantinum Chriſtiani Hugenii fratrem bis terve jam interpellavi ſuper eadem re. Chriſtianum quippe abeſſe domo, ac in Galliis hærere, haud ignoras. Accuſat ille innatam fratri procraſtinationem, & alienum à ſcribendis epiſtolis ingenium, cum raró ad parentem ipſum ac primæ neceſſitudinis propinquos litterarum quid dare ſoleat. Urgere tamen fratrem non deſinam, quando Chriſtianum ipſum non poſſum, ſi quid fortaſſe reſponſi ad quæſtiones tuas ſit exſpectandum. Quæ ſuper Cometis in chartam conjeciſti, ac mecum communicaſti, ea per me in Gallias ad Capelanum miſſa ſunt confeſtim, additis, quas volebas, precibus, eorum copiam uti viris ea in civitate rei Mathematicæ peritis, Bullialdo præſertim ac Hugenio, faceret, quod ille ſe facturum eſt pollicitus, ac ſimul nunciavit libellum ſibi redditum ac perlectum eſſe, placuiſſe etiam perlectum, & probari abs ſe ſententiam tuam, niſi quòd viſus ſis in modis ex ſcholaſtica philoſophia depromtis nimius nonnunquam; cum politiora per Gallias ingenia nitorem orationis unicè, ut ſcis, amplectantur: quem in ipſo opere magis, quam in operis compendio, adhibitum à te fuiſſe auguratur. Hæc apud te nequaquam diſſimulanda duxi, ſaltem, ut ſcires mandatis tuis me non defuiſſe. De epicedio Rautenſteinii cogitare necdum poſſum. Vale.

Excerptum ex reſponſoriis Auctoris d. 31. *Maji* 1667.

NEc ego nunc ita ut ante, literarum commercio vacare poſſum, dum toto pectore ad opus meum perficiendum incumbo. Quapropter cum deſiderio reſponſum Hugenii & Voſſii, ut & Tuum epicedium memoriæ Rautenſteinianæ deſtinatum exſpecto. Pergratum mihi eſt, quòd theſes illas meas Illuſtri Viro Capelano & per eum aliis Viris doctis expendendas miſeris, eorumque judicium de iis me non celaris. Hoc quoque gratum habeo, licet in phraſi nonnihil elegantiæ deſideret, dum rem ipſam approbat. Stilum quidem terſum & nitidum ac delicatis auribus accommodum de me promittere non poſſum. Certum tamen eſt paulum diverſa loquendi ratione aliàs me uti ab ea qua in theſibus uſus ſum τὸ πρέπον ſervare ſtudens. Vale.

Excerptum ex literis Heinſianis Hagæ Com. d. 25. *Jun.* 1667. *datis.*

DUm totus ſum in curanda re privatâ, ſignificatur mihi publico nomine, ex uſu eſſe patriæ, ut quamprimum ad Suecos recurram. Horrui fateor ad mandatum iſtud, & tamen obtemperandum, puto, erit: quamquam aut in totum excuſari, aut differri certè, maluiſſem. Itineri jam nunc me accingo, ut propediem Te ſim viſurus Hamburgi, ſi Deus volet. A Capelano reſponſum

ſum hactenus non accepi; & puto negotium illi eſſe ſolemne cum valetudine. Ab Hugenio quoque ac Voſſio quid expectandum ſit, negó me videre, & ſi utrumque officii ſui jam non ſemel admonuerim. Tu vale & nos ama.

Hamburgo Franekeram d. XXVI. *April.* Juliani CIↃ IↃC LXVII.

Viro Clariſſimo & Doctiſſimo

D. M. ABRAHAMO de GRAU,
Phil. D. & Math. in Alma Franeker. Prof. celeberr.

STANISLAUS LUBIENIETZKI
de LUBIENIETZ S. P. D.

JAm diu eſt, ex quo reſponſum à Te cum deſiderio exſpecto. Interim à ſcriptione abſtinui, utpote aſſiduorum Tuorum laborum benè gnarus, & meis exantlandis vix par, præſertim dum ad finem propero, ultimam manum, juvante DEO, impoſiturus operi meo. Hujus editionem ad aliquot menſes different figuræ omnium Cometarum, quorum ſcilicet curſûs & vel ſolius ſitûs, certa deſcriptio datur. Nam & has precibus & monitis amicorum, ac ſtudio publicarum utilitatum pro virili cuique promovendarum dedi. Interea temporis velim mihi reſpondeas, & præcipuè de his XXX theſibus meis judicium feras. Imò verò id officioſæ benevolentiæ, ſi rectè Te novi, brevi me abs Te conſecuturum ſpero. Nec immeritò: cum id & ſtudiorum votorumque meorum rationes requirant. Velim autem certum Te de mea conſtanti erga Te benevolentia eſſe, licet qui eam Tibi in memoriam continuò revocet, deſit meæ Tecum initæ felici ſidere amicitiæ pararius Generoſus Morſtinius, qui nunc Illuſtriſſimo Joanni Andreæ Morſtinio Regni Referendario (ita nos libellorum ſupplicum Magiſtrum vocamus) & à S. R. M. ad Chriſtianiſſimum Regem Ablegato, patruo ſuo adeſt. Vale Vir Humaniſſime, diu & proſperè.

Excerptum ex literis ad Virum Nobiliſſ. & Cl. Petrum Lambecium *Auguſtiſſimo Cæſari* Leopoldo *à Conſiliis & Bibliothecis.*

Hamburgo Viennam d. 25. *Maji* 1667. *datarum.*

DUbius animi adhuc hærebam, an Tibi, tempora Tua ſtudiis & occupationibus gravioribus impendenti, obſtreperem nec ne? Sed modeſtiam & pudorem vicit ſtudium veritati undecunque conquirendæ & quaquaverſum promovendæ, ac rei literariæ juvandæ conſecratum. En Tibi XXX theſes, quibus tota meæ de indifferenti & æqua Cometarum ſignificatione ſententiæ machina nititur. Has, quâ es humanitate, cum Viris doctis, inprimis cum Ingenioſiſſimo Millero Veſtro, (qui quæ de nupero Cometa hyberno cum Müllero noſtro communia eſſe voluit, unà cum figura, cujus exemplum Hollandicum adjungo, operi inſerui) communicabis, meque eorum judicium non celabis. Properat ad optatum finem opus meum à multis deſideratum. Adhuc moles grandis & copia figurarum (has enim & omnium Cometarum hiſtoriam & tot nuperorum obſervata referentes dabo) obſtiterunt, meaque & ſimul aliorum vota morantur. Brevi tamen ſpero, auxiliante Deo, cuncta perfectum iri. Exemplum operis libenter ad Te munus mittam, ut ibi videas,

quanti Te faciam, & quàm utiles rei literariæ Tuos in componenda ejus hiſtoria conatus judicem. Vale ac me favore Tuò, ut literarum bonarum amantem & cultorem earundem Antiſtes egregius, proſequere.

Lectori Salutem.

HÆc ſunt, quæ de ſignificatione Cometarum tàm ad alios dedi, quam ab aliis accepi. Tuum erit iſta cum libertate & æquitate dijudicare. Ego ſanè meam ſententiam juſtis rationibus munitam & fundatam eſſe credo. Diſſentiendi tamen à me cuique relinquo integram libertatem. Imò & ipſe ſemper hìc & ubique veritati magis convenientia ſequi & amplecti ſum paratus. Hæc interim Viris prudentibus, piis & moderatis dijudicanda proponere volui. Cæterum ſcias velim & alios Viros variarum rerum, imò & Mathematicarum, cognitione inſtructos, mihi hìc ſubſcripſiſſe, quos nominare non attinet. Quorundam etiam in re ſatis ancipiti & invidiæ obnoxiâ ſilentium pro adſenſu interpretor. Vale & his feliciter Tuo & publico bono fruere, ac ulterioribus meis conatibus fave.

Commiſſa & omiſſa in Tomo ſecundo ſic corrige.

PAg. 2. verſus med. Anno ante C.N. 380. Anno ante C.N. 480. Pag. 4. Hevicus, Helvicus. Ibid. Rucciolus, Ricciolius. Pag. 5. verſus fin. Alſtedii, Alſtedius. Pag. 6. in fine, ſine regni, fine regni. Pag. 7 lin. 12. N°. 3. N°. 1. & *Ricciolius* pone ante *Almagesti*, ac parentheſin dele. Ibid. poſt med. ante C. N. 341. ante C. N. 431. Pag. 8. lin. 8. 200. bellatorum, 200 m. bellatorum. Ibid. in medio à C. Nanto, a. C. N. (ante Chr. Nat. ut per ſe patet.) Pag. 9. Lacedæmonios Pharnabaſum, Lacedæmonios & Pharnabaſum. Ibid. ante Chriſti natum, ante Chriſtum natum. Pag. 10. Athenienſis tamen, Athenienſibus tamen. Ibid. ad Gyzicum, ad Cyzicum. Pag. 11. Regis Alcombroti, Regis Cleombroti. Ibid. & ſecuta eſt, dele &, ut & p. 13. lin. 3. à fine Pag. 12. lin. 1. ante C. N. 395. U. C. 358. ante C. N. 355. U. C. 398. Pag. 15. poſt med. Ratiocinarium, Rationarium. Ibid. 30. millium hoſtibus, 30. m. (tricies mille) hoſtibus. Pag. 18. verſus fin. *phænomeno*, phænomeno. Idem error paſſim in toto opere à Lectore benevolo facilè corrigetur. pag. 19. lin. 4. poſt *Africano Minore duce*, adde, *premente*. pag. 20. à Fabio Procos, à Fabio Procoſ. Ibid. ab ſe ſubmittendum, ad ſe ſubmittendum. Ibid. Cæcillus Metellus, Cæcilius Metellus. pag. 21. & Phyſeon, & Phyſcon. pag. 23. lin. ult. quæ 1000. millia, quæ 100. millia. pag. 24. lin. 5. poſt *tum*, adde, *hujus*. pag. 25. lin. 4. *Quod vero bellum*: Rectius dicitur, *Quod vero ad bellum attinet*, licet illud ſit ſatis apud eruditos quoque, frequens. pag. 27. verſus fin. ante C. N. 277. ante C. N. 27. pag. 30. lin. 2. nimium, nimius. Ibid. lin. 3. *decimotertio anno*, 13. (decimum tertium, ut res ipſa docet.) Ibid. verſus med. immane quantam, immane quantum. pag. 31. & A. M. 5963. & A. M. 3963. pag. 32. verſus med. XXII. ſtatuo, XXIV. ſtatuo. Et mox poſt *in Cancro*, adde, *&*. Ibid. verſus fin. Num. XXIV. Num XXV. Ibid. lin. ult. poſt *præcedenti*, adde A. M. 3769. ante C. N. 194. viſo. pag. 33. lin. 1. eum, hunc. Ibid. conſemus, cenſemus. Ibid. paulò poſt Apulo, Æpulo. pag. 35. lin. 1. A. M. 3853. XXXV. A. M. 3853. Ibid. XLVI. A. M. 3922. XLVII. A. M. 3922. Ibid. lin. 3. à fine ibi numero XXXVII. qui hic XLVI. corrig. ibi numero XXXVII & XXXVIII. qui hic XLVI & XLVII. propter diſcrimen Auctorum de anno mortis Cæſaris. Ideò poſteriorem computationem poſui in Catalogo Cometarum, quem aliquanto poſt compoſui. pag. 36. lin. prima XLVII. XLVIII. Ibid. paulò poſt: ibi numero XXXIIX ibi Numero XXXIX. Ead. lin. qui hìc XLVII. qui hìc XLVIII. eſt. Ibid. ſequenti lin. XLIIX. XLIX. Ibid. Num. XLIIX. Num. XLIX. Ibid. Numerum L. Numerum LI. pag. 39. lin. antepenult. Κομῆται, ἡ δοκίδες. pag. 40. lin. 3. ἡ ὑς τὸν, ἡ ὗς τῶν. Ibid. lin. ſeqq. poſt ἔθνεσιν dele punctum. pag. 41. lin. 2. συνανακαιρήσων, συνακαιρήσων. Ibid. lin. 4. ὁ Ιησȣ̃, ὁ Ιησȣ̃ς. Et mox ὦετο, ᾤετο. Ibid. lin. 11. & ſic loquar, & (ut ſic loquar). Ibid. trienno perdomuit, triennio perdomuit. Ibid poſt medium: poſt *cladem*, adde, *ponit*. pag. 44. lin. 6. poſt *Soles*, adde, *eum*. pag. 45. Regis portendat, Regnis portendat. pag. 47. poſt med. ſidus Cometes, ſidus Cometen. pag. 49. Wichmanus Veſpaſiani, Wichmanus qui Veſpaſiani. Ibid. Chiſtum antea, Chriſtum antea. pag. 50. acontius dictus, acontias dictus. pag. 51. ante med. *vulg*. 76. adde, *vel* 75. pag. 52. ἀυχȣ̃ντες, ἀυχȣ̃τες Ibid. poſt med. *poſt Chr. natum*, adde, *ſunt*. pag. 53. poſt med. 97. verò, 97. verò. Ita & ſeqq. commate bis pag. 54. ante med. Nicodemia, Nicomedia. Ibid. Necopolin, Nicopolin. Ibid. maxima peſtis, maxima fames, mater peſtis. pag. 55. Sacraeenorum, Sarracenorum. pag. 56. apparitione Cometæ, apparitioni Cometæ. pag. 58 Cometes ſidus, ſidus Cometes. Ibid. Ut teſtatur Dionyſius, Ut teſtatur Dion. ſicut erat in authentico. pag. 59. malum portendere, adde, Alſtedius. Ibid. lin. ult. Hapirianum, Papinianum. pag. 60. pacem redemiſſe, docent. Cometis, dele punctum ſenſum turbans. pag. 64. lin. 8. à fin. verè infauſtum, verè infauſtam. pag. 65. lin. 8. accerſeverunt, accerſiverunt. pag. 67. lin. penult. Cometes, Cometis. pag. 68. lin. penult. poſt mortem, adde, pariter Valentiniani illam. pag. 69. in Anno Chriſti, in Ann. Chriſti. Sicut in authentico ſcriptum erat. Idem error corrigatur infra ubicunque occurrerit. Frequens enim eſt, quod Lectori prudenti res ipſa indicabit. Ibid. geſta ſunt aëria, geſta ſunt acria. pag. 70. lin. penult. poſt *Rockenbachius*, adde, *accenſeat triſtibus*. pag. 71. lin. 1. 833. 383. Ibid. ſtrangulationem Valentinianam, ſtrangulationem Valentiniani. pag. 72. lin. 2. lib. 12. 3. 37. lib. 12. cap. 37. pag. 75. poſt med. in ann. 408. vulgo 410. in ann. 408. vulg. 410. verum. pag. 76. lin. ult. regno obtudens, regno obtrudens. pag. 77. Imperatoris, Sororis, Imperatoriæ, Sororis. pag. 78. in Anno Chriſti 404. in Ann. Chriſti 404. Ibid. Modigiſium, Modigiſilum. Ibid. ſive Godegiſium, ſive Godegiſilum. pag. 79. ſucceſſor Ataufus, ſucceſſor Ataulfus. Ibid. Ataufus, Ataulfus. pag. 80. Alarico actore, Alarico auctore. pag. 81. lin. 4. Ravennæ datum, Ravennæ natum. Ibid. Ludociam dictam, Eudociam dictam. pag. 82 poſtremas Kalcherias Januarias, poſtr. Kal. Januarias, ſicut in authentico expreſſè ſcriptum erat. pag. 83. parte Africa, parte Africæ. Ibid. Theſſalonica ſunt, Theſſalonicæ ſunt. Ibid. non injuria dicens, non injuria dixeris. Ibid. Scoti Picti, Scoti & Picti. pag. 86. ab illo 700 m. ab illa 700 m. pag. 87. quietem Orientem, quietum Orientem. Ibid. poſt med. in Anno Chriſti 443. in Ann. Chriſti 453. pag. 89. poſt med. illuſtravit, illuſtrârit. Ibid. conquaſſat, conquaſſata. pag. 90. lin. 1. inquinaria, inguinaria. Ibid. Eorico, lege, Eurico vel Evarico. pag. 91. lin. 3. poſt *Auguſtulum*, adde, intra x. annos v. Auguſtos, ſextum Auguſtulum. pag. 92. circiter Imperatori, circiter Imperatore. Ibid. & Godiſilum, & Godigiſilum. pag. 93. lin. 1. Anno 402. Anno 502. Ibid. S. Ludovici, ſ. Ludovici. Ibid. Gregogio, Gregorio. pag. 94. tot Auctorem fide, tot Auctorum fide. Ibid. maximum Romanæ urbis, adde, maximum gaudium Romanæ urbis. Ibid. obiit †. NB. hoc ſignum †. ibi pone Auctore Aventino. pag. 95. in Anno 523. in Ann. 523. Ibid. quæ tamen Caſſiodori, quam tamen Caſſiodori. pag. 96. lin. 2. ex Proconio, ex Procopio. Ibid. ad Ann. 434. ad Ann. 534. Ibid. phœnomenῶν, lege, per æ non œ, & ſine circumflexu: ita & aliàs paſſim. pag. 97. anno Chriſti 519. anno Chriſti 539. Ibid. 300. millia hominum, 300. mille hominum. pag. 99. lin. 16. refert annum, refert in Annum. pag. 100. lin. 1. Iſaurorem, Iſaurorum. Ibid. lin. 6. cœpit, cepit. Ibid. lin. 8. ad diripiendam, ad eam diripiendam. Ibid. poſt med: *Theodericus primam*, adde, *ejus poſſeſſionem*. Ibid. Anno Chriſto 557. Anno Chriſti 556. pag. 101. Cladem Arvernaram, cladem Arvernam. Ibid. ad ann. 572. ad ann. 527. Ibid. de Occidentali, de Occident. Ibid. lin. penult. Huic paulo poſt, Hinc paulo poſt. pag. 102. verſus fin: *Roſimundæ uxori non tantùm*, non tantùm Roſimundæ uxori. Ibid. Aimoin. l. 6. c. 17. Aimoin. l. 3. c. 17. pag. 103. quio Sigeberto, quia Sigeberto. pag. 104. à Clodovei, adde, à morte Clodovei pag. 105. lin. 14. in annum 586. Mortem Leovigildi, in annum 590. refert. At vero iſte ante hanc in annum 586. mortem Leov. Ibid. Atharitis Regis, Antharitis Regis ſive Antharis (Autharim Diaconus vocat). Ibid. Antharit rex, Antharis rex. Ibid. Italia Dei beneficio a peſte liberata, Italiam Dei beneficio a peſte liberatam. Ead. lin. apud Franos, apud Francos. pag. 107. propè med. a Bucholzero annum 570. a Mercatore 569. at a Sigonio, a Bucholzero annum 571. a Mercatore 569. natali at morti a Sigonio. Ibid. Annus 567. Annus 597. Ibid. potius ad invidam, potius ad invidiam. pag. 108. lin. prima, animum, animam. pag. 109. poſt med: & imaginis Phocæ, adde, Tunc & imagines Phocæ. pag. 110. memoriæ prodididit, memoriæ prodidit. Ibid. animum ad ſucceſſorum, animum ad ſucceſſorem. pag. 113. ut Calviſius, deceſſit, adde, ut Calviſius ait, deceſſit. pag. 114. Romanæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 48 [2]

manæ Hiſt. compend. p. 1508. p. 1308. Ibid. lin. ult. ferè 40. permulta,
permulta ferè 40. pag. 116. Sed hæc propiorum, Sed hæc propiorem.
Ibid. ex Plamerio, ex Palmerio. Ibid. a Conſtantio Pogonato, a Con-
ſtantino Pogonato. pag. 117. lin. 4. Ludovicus enim Anno 600. corr.
660. & mox 602. corr. 662. & iterum 603. corr. 663. Ibid. cap. 13.
Sigeberti, cap. 13. & Sigeberto. pag. 118. & Leonis 2. Anno 883. corr.
683. & mox 985. corr. 685. pag. 122. lin. 2. exitum, exitium. pag.
124. ſpes ſcil. Æmilium, ſpes ſcil. Æmiliam. pag. 126. lin. 3. & 759. &
749. Ibid. aggreſſione Conſtantini. aggreſſioni Conſtantini. Ibid. in-
vaſit & cæpit, invaſit & cepit. Ibid. bellum ſecutum eſt, Chilpingum,
bellum ſecutum eſt, inter Chilpingum. pag. 128. propè med. Vitam Ca-
roli, qua, Vitam Caroli qui. pag. 131. lin. 14. agebat, agebant. Ibid.
manuſque, exacrandum facinus, adde & corr. manuſque præſcidit, ex-
ecrandum facinus. pag. 132. lin. 10. omiſſuri erant, amiſſuri erant. Ib.
in duobus locis, Caroli Martelli, corr. ut erat in autographo, Caroli M.
pag. 133. in anguſtias redacta, in anguſtias redacto. Ibid. qui & Adobri-
ti, qui & Abodriti & Abroditi. Ibid. lin. penult. felicem Nicephori,
adde, felicem Michaëlis qui gener fuit Nicephori. pag. 135. auctor Saxo-
ne, auctore Saxone. pag. 136. à fine lin. 4. ibi bellum, illic bellum.
pag. 138. multum diverſi, multum diverſo. pag. 139. Favor Imperato-
rem, favor in Imperatorem. Ibid. ſupra lin. 20. *e oblatis*, è dele, & ver-
ſus fin. pro *memorabili*, lege, memorabilia. Ibid. lin. ult. *p. l. 8. c. 8.*
corr. p. 1. l. 8. c. 8. adde: *Thegan. c. 43. & ſeqq. & Exauctoratio Ludov.*
